


P I S A

1 6 0 8



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Hd. 11.



DISPUTATIO XIV.
EXERCITATIONVM ETHICARVM
De
PERFECTIONE ET IMPERFECTIONE
Virtutum, id est,
De
VIRTUTE HEROICA

nec non
De
CONTINENTIA & TOLERANTIA,

*Ex libro 7. Ethicorum Nicomachiorum maximam partem
deprompta,*

Quam

CHRISTO DVCE ET AVSPICE CHRISTO

In Illustri Academia VVitebergensi

PRÆSIDE

M. HENRICO VELSTENIO PHILOSO-
phiæ moralis professore Publico defenden-
dam suscipiet

THEODORVS BERGMAN HILDESIA-SAXO.

24. Octobr. horis locq; consuetis.


Cic. lib. 2. de Nat. Deorum.

Nemo vir magnus sine afflatu divino unquam exiit.

Soc. lib. 1. Continentia virtutis fundamentum est.

WITEBERGÆ,


Typis Mullerianis Anno 1607.



VIRIS VERE HEROICIS
EQVESTRI ET GENERIS
SPLENDORE, VIRTUTE, ERUDITIONE,
MVLTOQVE RERVM VSV EXPERIEN-
TIAQVE CLARISSIMIS, NOBILISSIMIS

DN. STATIO }
DN. HILMARO } *Don Wünehhausen.*
DN. NICOLAO }
DN. LVDOLPHO }

*Dn. Mecenatibus, Patronis, & Promotoribus
suis Magnificentissimis.*

 V R. vestras mea cymba petat jam cominus oras,
Quæritis, & vestro cur portum in littore quærat,
Magnanimi Heroum? Suadet vultusq; favensq;
In Musas animus, suadent, queis Palladis olim,
Et nunc ornatis cultores, grandia dona.
Vult septenne mihi præstans HILMARE jubetq;
Concessum munus! (Nec enim mens præmia tanta
Dememinisse potest) Poscunt LVDOLPHE sacrarum
Indefessus adhuc Musarum & cultor & altor,
Effusa in libros argenti auriq; talenta,
Commoda promoveant alij privata, profana:
At vobis STATI & NICLAE heroica corda
Et curæ & cordi vobis bona publica, sacra.

Ergò meæ in vestro tutum date littore cymbæ
Illustres animæ porrum, semperq; benignum
Servate in me animum, stabilem servate favorem.

V. V. A. A. & N. N.

Subjectissimus

THEODORVS BERGMAN
Hildesiâ-Saxo, quâ Autor
quâ Respondens.

CONTINUATIO.

Quod peregre proficiscentibus usa venit, non una semper eademq; incedere viarum formam possint, sed varijs itinerum vicissitudinibus formisq; (nunc dura & aspera, jam canosa & lutosam viam, nunc per conualles, mox per altissimos montes) donec ad propositum eandem perveniant locum, ingredi necesse habeant: Idem illud & ijs, qui cursu contenti ad veram virtutem grassantes, & ad Summi boni civilis hospitium contendentes vera audax via frui cupiunt, accidere assolet. Ecce enim tibi jam clivosa, aspera, scruposaq; virtutum rupes, jam lutulentam lubricosamq; Continentiam Tolerantiamq; fora, mox altissima virtutis Heroica culmina ardua q; fastigia superanda veniunt! Ubi me hercule.

— — — Infano juvat indulgere labori. Virg. 2. *Æn.*
Ardua virtutem profert via. Syl. Italicus 2. belli punico.

Quisquis enim duros casus virtutis amore
Vicerit: ille sibi laudemq; decusq; parabit
At qui desidiam, luxumq; sequetur inertem:
Dum fugit oppositos incauta mente labores,
Turpis inopsq; simul miserabile transiget ævum.

Virg. in descript. lit. Pythag.

Sed ut nec viarum tantummodo asperitas longitudine viatoribus, quò minus iter institutum conficere valeant, obstaculum est, sed sepius etiam hostium, latronum, prædonum ferarumq; incursus impetusq; moram injicere solet: ita etiam virtutum iter currentibus, & ad summi boni civilis arcem tendentibus varijs hostes, quibus cum strenuè pugnandum est, sepius occurrunt.

Et quidem triplex eorum genus deprehenditur: Sunt enim Primo sceleratissimi omniq; polluti crimine vitioq; latrones, (liceat enim nobis his similitudinibus uti,) omni hominem ratione privare assueti. Struunt deinde insidias incontinentissimi prædones, qui, si non rationis usum demere omnem, ornatum tamen ipsius immutare, usu privare, proq; veste splendida pallium sordi-

sordidum substitueret & porrigeret ipsi solent. Vita denique nostra
latenter insidiantur

Multaque praeterea variarum monstra ferarum.
Centauri in soribus stabulant, Scyllaeque bifformes,
Et centum geminus Briareus, ac belua Lernae,
Horrendum stridens, flammisque armata Chimera.

Virgil. 6. Aeneid.

Est facilis vitium cuiusvis descensus ad omne,
Noctes atque dies Vitiorum porta patescit.
Sed revocare gradum & Virtutum evadere ad arces.
Hoc opus hic labor est, pauci quos aequus amavit
Iuppiter, aut ardens virtutis perculit ardor.

Dei inquam praepotentis auxilio, & summo virtutis amore
hostes isti prosterni armisque suis exui possunt omnes. Ille enim tan-
quam communis atque omnium prima: hic vero propinquior ad vir-
tutem causa concurrit. Absque illo suscipere quidquam, est domus
arenoso & ruinoso superstruere fundamento: sine hoc ad virtu-
tum culmen pervenire velle, est in vitis canibus venari. Media
vero quorum beneficio arduus virtutum callis superari hostesque
prosterni possunt, perfectissime summoque cum studio ab Aristotele
in Ethicis suis descripta nobis proponuntur; Quorum cum illa,
qua circa primum hostium genus latrones videlicet, id est, vitia
occupata sunt, praegressis Exercitationibus nostris Ethicis exami-
naverimus, ipsamque virtutis viam, qualis in se quidem est, cum
suis vitis contemplati sinus; jam illa quoque qua circa secundum
& tertium hostium genus praedones scilicet & feras, id est Incon-
tinentiam & Feritatem nobis emolumento atque usui esse possunt,
vestigis Coryphaei nostri Aristotelis insistentes explanabimus, vir-
tutemque tum in perfectitudine sua, virtute nimirum Heroica,
tum & in imperfectitudine, Continentia scilicet & Tolerantia, &
horum extremis contemplantur. Tria namque in moribus expeten-
da sunt, Virtus Moralis, Continentia, & Virtus Heroica: quibus
tria quoque in moribus fugienda opponuntur, Vitium Morale, In-
continentia & Feritas sive immanitas. Arist. 7. Eth. Col.
7. Eth.

Thesis

THESIS I.

Debet quisque rei alicuius cognitionem indagaturus, ante omnia nosse eius principia, ex eorum enim notitia cognitio aliorum pendet. Zabarel. de Nat. Scient. c. 6. immò heic est rerum omnium in natura & intellectiois aut cogitationis humane concinnus ordo, ut à simplicibus procedatur ad composita teste Arist. 1. prior. Anal. c. 27. § 5. & 1. post. c. 3. §. 4. item, 1. œcon. c. 2. πρῶτον inquit ἐκ τοῖς ἐλαχίστοις ἢ φύσις ἐκαστῆς δεῶν ἔσται, minima omnino primo considerata esse docens.

2. Nominis verò definitionem definitione rei simplicem magis esse; immò vocum derivationes multum lucis ad rei naturam & proprietates cognoscendas conferre, quis est qui dubitat? Ita ut Galeni illud meritò & hic obtinere locum possit, quod lib. 1. de Method. c. 2. & 3. & lib. 1. ad Thrasybulum scribit; sine nominis, inquit, explicatione velle rem cognoscere, est tempus perdere. Dum enim vides, ait Isidorus unde ortum est verbum, citius vim intelligis eius rei, quam cupis introspicere. Hinc vetus illud πρὸς τὸ ὄρθως δὲ δάσκειν πρῶτον δὲ ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα Rectè docendi principium nominis inquisitio est.

3. Quare & nos quoq; de virtute Heroica sermonem hac vice instituturò sapientissimis Philosophorum ἐφωνήμασι calculum adiicientes ab ipsa ὀνόματι ἔγχευεῖα initium facimus, ipsiusq; nominis Herois unde illud derivatum deductumq; sit, fontem meritò indagamus.

4. Originem autem vocis hujus à Latinis scriptoribus petere velle, esset aquam è pumice postulare: Siquidem constat, ipsos dum cōveniens invenire nomen, quod vim & efficaciam Græcæ vocis expressisset, non potuerunt, hanc ipsam revinere, quam minus convenientem substitueri maluisse.

5. Ad Græcos igitur nos convertentes tot ferè de origine hujus vocis invenimus opiniones, quorū commentatores. Quidam ἢ ἀπὸ τῆς ἀρετῆς à virtute deducunt, quæ tamen minimè videtur convenient deducitio. Alij ἢ ἀπὸ τῆς ἔριδος, quod idem est quod dicere, eò quod in magnis olim viris numerabantur ij, qui dicendi excellabant peritiâ, habebanturq; heroica proles, ceterorumq; hominum duces principesq; Rhetores. Nonnulli à voce ἔριδος derivant, quia nempe heroum animas cum Dæmonibus in aere manere, ibiq; res humanas à vicino contemplari antiquitùs creditum est: Sicut & Xenon apud Laert. lib. 7. Heroas corporibus sapientum solutas, & in aere ita obvagantes animas vocat. Nec defuero qui à voce ἑρῶ hoc est Iunone, quæ Dea & præses aeris est. Heroes dictos existimant, eò quod Heroes

terras superent, & ad Deos accedere videantur, vebat Augustinus existimat L.
20. de Civ. Dei c. 21. quod Heroes habeant naturam aeream & impetus ve-
hementes instar ventorum. Accepimus alios qui Heroes ab ἥρωι hoc est
terra dictos censent; quasi illi terrestres quidam Dii sint. Piccol. grad. 6.
Phil. Mor. c. 1. Vnde Lucianus Heroem definit ὅς μὴτε θεός μὴτε ἄν-
θρωπος ἀλλὰ συνὰ μὲν τῶν θεῶν: qui neq; homo, sed utrumq;. Legimus ali-
os ἀπὸ τῆς ἥρωϊσ; quod eligere significat, vocabulum Herois dedu-
cere, quasi ἡρωμενοι τῶν θεῶν καὶ ἥρωι, selecti quidam & prestantes secun-
dum virtutem homines, quos Herodorus lib. 2. ab Aegyptijs Piromes
dici asserit, & forte Graeci imitati Aegyptios mitiore vocabulo ἡρώας dix-
ere. Atq; huic etymo Maro quoq; ad stipulari videtur in Eclogis,
quando ait:

Alter erit tum Tiphys, & altera quae vehat Argo
Delectos Heroas. Zuing. in Tab.

Verum convenientissima videtur eorum opinio, qui ἀπὸ
ἥρωϊσ; deductam hanc vocem putant. Vehemens enim ille amor in
Heroicis naturis, ardensq; virtutis studium, est Spiritus, semen, vita & forma
heroicae dignitatis, sine qua nec esse, nec servari valet. Piccol. grad. 6. Phil.
Mor. c. 8. Kecker. in Syst. eth. l. 3. c. 5. Ab Aristotele l. 7. Nicom.
c. 5. vocatur haec virtus ἀρετὴ ὑπὲρ τῆς φύσεως ἡρωϊκὴ καὶ θεῶν, quae sit su-
pra nos profus heroica & divina: Non quidem quod Dei sit, quippe qui
omnem perfectionem in se habet modo super eminenti: sed quia facit homines si-
miles quoq; modo Deo, sicut veritas dicitur non quia ferarum sit, quia beluae non
habent neq; vitia neq; virtutes, sed quia facit homines similes magis feris quam
alia vitia vel fugienda. Acciajol, in lib. 7. Ethic. Nicom. c. 1. Vide &
Kecker. l. d. Dicitur itidem τιμιώτερον τῆς ἀρετῆς τῆς ἡρωϊκῆς quid virtu-
te scilicet humana. Quod fitur homo supra naturam elatus suam Deos imite-
tur agendo, quatenus Dii similis quodammodo efficitur θεός & ἡμιθεός
nuncupatur: quatenus vero Deus non est, sed homo manet, Heros appellatur, me-
dia sc. natura inter divinam & humanam. Zuing. in Tab.

6. Caeterum quia vox ambigua nihil certi, nihilq; distincti
menti representat, &

Erroris genitrix est equivocatio, semper,
Idcirco & hanc vocem suis ambiguitatibus liberandam esse cen-
semus.

7. Sumitur igitur vocabulum Herois aliter Philosophicè, aliter
Theologicè, Philosophicè & quidem Proprie loquendo, Virtus He-
roica virtutum moralium eminentia quaedam est splendorq;, carum
praesertim, quae sunt cum maiori coniunctae difficultate, ad quas
tenden-

endentibus via datur calcanda asperior magisq; ardua, quam sub-
perare volentibus afflatus aliquis instinctusq; divinus praesto sit ne-
cesse est, peculiarisq; Dei gratia. Magirus in Ethic. lib. 7. c. 1. p. 640.
ita ut, qui Heroes dicti sunt, vel eminenti fortitudine, vel Magnanimitate, vel
Temperantia resulserint. Piccol. gr. 6. Phil. M. c. 4. Minus proprie
virtutis Heroicæ nomen etiam ijs attribui potest, qui in arte aliqua excelluerunt,
& in genus humanum insigne aliquod beneficium contulerunt, praesertim vero
si ipsi artium illarum, in quibus excellere, invemores fuerint, qualis celebra-
tur summus ille Philosophorum Princeps Aristoteles, Euclides &c.

Theologicæ hæc vocabulum sumunt etiam de ijs predicari meruit, qui
eminentia splendoreq; virtutum Theologicarum & S. S. accensarum praediti in-
ter homines celebrantur, e quarum virtutum numero præcipue sunt Dilectio
Dei, spes, fides, charitas, & eiusmodi virtutibus ornati, priori illi duplici iam enu-
merato heroum generi omnino sunt præferendi, quia nimirum victo mundo,
neglectisq; mortalibus sebe divina querunt & magnificiunt. Supra morales i-
gitur virtutes collocanda heroica, quæ splendor est moralium, supra heroicas di-
vine, Dilectio Dei, spes, fides, charitas, Piccol. gr. 6. P. M. c. 3. Prior accen-
prio huius loci propria est, posteriores duas in alijs disciplinis ex-
plicandas ablegamus. Kecker. l. d. p. 246.

8. Definitione nominis ita explicata, ambiguitatibusq; remo-
tis, de rei definitione merito jam solliciti esse tenemur: ac primum
omnium generis investigatio necessaria est.

9. Genus, Subiectum, Causa, omnia hæc eadem sunt cum
virtutibus moralibus reliquis. Quemadmodum enim illa, ita & hæc acti-
onum crebritate, aut ex paucis bene validis, Scalig. Exerc. 307. Sect. 4.
creatur. Illæ quidem ex mediocribus; hæc vero ex magis conspicuis & emi-
nentibus: id quod contra eos notandum, qui genus virtutis heroica non in habi-
tu, sed in perturbationum evulsione volunt consistere, quod de Eustratio accipi-
mus. Eustrat. lib. 2. Comm. Ethic. c. 3. Quales autem hæc actiones sint,
non distinguimus: Sed eas ex omni virtute promanare facile defendimus, licet
quidam has actiones dixerint bellicas, quas Fortitudo moderatur. Piccol.
g. 6. c. 4.

10. Porro quemadmodum virtutes Morales pro subiecto ha-
bent voluntatem: ita & hanc quoq; in voluntate sedem suam
habere putandum est, nisi quod peculiaris quidam in hac afflatus ductusq;
divinus concurrat, quo incitata heroica natura altissima sibi proponens

& pro-

Et propter quem dactum nanciscuntur opportunitatem, successus, & felicitates, quibus alij destituuntur plus quam humanas.

11. Objectum virtutis Heroicæ idem quod virtutis universalis, omniumq; virtutum reliquarum obiectum: sed potissimum tamen sunt res eæ, quæ in virtutes cadunt præstantiores (intellige inprimis istas, quæ cardinales dicuntur) in quibus resulgere est difficilius, magis supra hominis vires collocatum, magisq; divinam quandam facultatem exposcit. Piccol. l. d.

12. Causæ huius virtutis sunt & efficientes & finales: Et efficientes quidem tam principales, quam minus principales. Primas enim in huius virtutis acquisitione merito sibi tribuit, qui est sine causa omnium prima, & à quo quicquid est boni unquam promanat omne, Deus Ter Opt. Max. qui nisi afflatu suo heroicis animos excitaverit, facultatemq; viresq; virtutem hanc acquirendi, acquisitam excolendi, exercendam exercendi elargitus fuerit, frustranea erit omnis de ea suscepta cogitatio. Atq; hinc est quod virtus hæc divina magis quam humana censenda. Nemo enim vir magnus sine afflatu divino unquam extitit. Cic. lib. 2. de Nat. Deorum.

13. Aflatus autem ille divinus quoniam paucissimis contingit, raro etiam hæc virtus inter mortales invenitur, *ἄριον ἄνδρα εἶναι τὸ πᾶνιον*, raro sit virum esse divinum. Arist. 7. Ethic. c. 1. Kekker. l. d. Atq; hæc quidem de causa principali eaq; remota.

14. Est & alia principalis sed propinquior causa, Actiones nimirum. Ex illis enim habitus vel bonus, si bone, vel malus, si male actiones, procreatur, sicuti progressa disputatione quartâ prolixè ostendimus. Quia autem hæc virtus in habitu consistit in eoq; fundatur, ideo & actionibus crebris nimirum & iteratis, aut paucis bene validis, ijsq; bonis & eximijs, sed mediocritate donatis, comparatur. Omnis enim

Est virtus medium vitiorum utrinq; reductum.

Horat. lib 1. ep. ad. Lollium. Et qui neglectâ operatione & actionibus ad huius virtutis culmen & fastigium ascendere se posse existimaverit, idem fecerit, ac si quis non ædificando Architectus, non canendo Musicus, non numerando Arithmeticus, non disputando Dialecticus existere velit. Ex th. 9.

15. Sic sunt causæ principales, quæ quia non excludunt inferiores & minus principales, ideo & illas non incommodè hoc loco proponi posse putamus.

16. Ex

26. Ex illarum autem numero sunt. Naturae bonitas. Requirit enim haec virtus singulare temperamentum & dispositionem corporis. Vnde Cicero de finib. Suae cuique natura (inquit) est ad vivendum dux. & Horat. in Art. poet.

Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum, juvat, aut impellit ad iram:
Aut ad humum marore gravi deducit, & angit,
Post adfert animi motus interprete lingua.

27. 2. Bona educatio: Est enim illa prima, secunda, tertia pars vite, sine qua omnis doctrina est veluti armata iniustitia. Seneca. Sapienter proinde Horatius lib. 1. epist. ad Mœcenatem

— — — Nunc adhibe puro
Pectore verba puer, nunc te melioribus offer:
Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu.

Et eleganti, quid Educatio possit, spectaculo Lycurgus civibus suis comprobavit. Is enim cum duos iisdem parentibus catulos educari iussisset, alterum quidem ad venationem, alterum ad ingluviem domesticam: utrumque postea in theatro exhibuit, deinde ollas carnum apponi, ac leporem vivum dimitti iussit, repente venaticus in leporem irruere, culinaris in ollam. Bodin. lib. 5. de Rep. c. 1. En

— — — Nil assuetudine majus.

Ovid. l. 2. de Art. Am.

28. 3. Felix institutio: que si in ulla aliqua virtute, certe vel in hac maxime necessaria fuerit. Vehementes enim illi motus impetusque, quibus heroice natura praedita sunt, nisi congruente institutione dirigantur, in gyrum rationis & doctrinae ducantur, Cic. lib. 1. off. a teneri statim in bonitate confirmantur, periculum est ne efferati doctrinam postea omnem abijciant, inque contrarium huic virtuti vitium feritatem nimirum incurrant, quod praestantioribus ut plurimum naturis accidere in comperto est. Sicut enim fertilissimus optimarum frugum ager, si cultura hominum & semina utilia desint, eximiam spinarum & articularum, & inutilium herbarum copiam alit, neque nihil omnino potest producere: sic animum nostrum, ubi desinit honesta virtutum institutio culturaque, tanto maiora vitia & scelera aggredduntur, quanto maioribus virtutibus antea poterat exornari. Natal. Comes. Plutarchus. Recte ergo Ovid. 2. Pont. 9.

B

Inge-

Ingenuas didicisse fideliter artes
Emollit mores, nec sinit esse feros.

'Si enim cum natura felici rectam disciplinam fuerit homo assecutus, divinis-
simum masuetissimumque animal solet evadere: Si vero non satis aut non bene fue-
rit educatus, ferocissimum omnium, quae in terris nascuntur, animal redditur'
Plato 6. de legib.

19. Atque hoc ipsum experientia rerum omnium magistra testatur, nemi-
nem unquam ad heroicarum virtutum culmen pervenisse, nisi qui & recta insti-
tutionem informatus, & doctrina egregia de Deo nimirum, Spiritibus caelestibus,
anima hominis, Virtute &c. egregie antea probeque fuerit excultus. Kecker-
l. d. Rectam autem & bonam disciplinam dicimus; Quia consenta-
neum est naturam optimam, si adversa forma nutriatur, deteriorum evadere
quam ignavam. Plato 6. de Republ. De quibus causis supra disputatione 3.
fusius actum fuit.

20. Atque haec de causis efficientibus; succedit finalis, quae
duplex constitui potest, una respectu Dei, altera respectu
nostri. Illa velut communis est, ut Deus in admirandis su-
is operibus laudetur celebretur. Dum enim videmus insignes, immo divi-
nae plane heroum operationes, ad quas efficiendas sola humana natura non suf-
ficiebat, tum numen aliquod superius esse concludimus, a quo heroicae naturae ex-
citantur, quod cum non nisi bonorum omnium dator & effector Deus Ter. opt.
Max. esse poterit, ad agendum ipsi pro concessis suis donis gratias merito exci-
tamur. Haec respectu hominum & propinquior causa est, ut bene
beateque inter homines vivi, humanaque societas ad finem usque mun-
di conservari possit. Solet enim Deus heroes excitare tum temporis vel ma-
xime, quando vel religio vni paritur, vel regna ad interitum vergentia susten-
tanda, vel collapsa restituerenda & restauranda sunt, id quod exemplis quam plu-
rimis, tum vero vel imprimis exemplo Moysis, Davidis, Iosaphati, Eze-
chiae, Iosae, Cyri, Darij, Constantini Magni, Thedosij, manifestum
evadit. Atque hoc contra Hesiodum notandum esse censemus, qui unico tantum
tempore aureum genus hominum; id est heroes existisse fingit. Gocl. disput.
Ethic. 13. ch. 9.

21. Ex haecenus dictis apparet, virtutem hanc heroicam non
nisi υπερθυλα & excellentia, id est secundum magis & minus, illu-
strius & minus illustre: minime autem specie distinctam esse a
virtute morali. Vide Quaest. 1.

Genere

22. Genere & causâ investigatis, ad definitionis positionem accedimus eamq; extruimus talem: Virtus Heroica est habitus animi, non tam humanâ industria acquisitus, quàm divinitus quibusdam concessus, ad ejusmodi actiones perficiendas, quæ alioquin solis humanis viribus præstari non possent.

23. Colligitur hinc 1. Heroes esse viros illustres, per excellentem quandam virtutem adeptos conditionem supra humanam collocatam. Piccol. gr. 6. Ph. M. c. 2. 2. Nobilitatem per hanc virtutem coepisse, de qua plura in Questionibus, Quest. 7.

24. Specie: æternis ipsorum tot constitui possunt, quot sunt virtutum moralium species: in quacunq; enim virtute eminentia & fulgor, in ea & virtus heroica locum habere potest. Quis verd est, qui splendori eminentiæq; non in omni virtute morali locum relictum esse, affirmare audeat? Concedendus ergo & virtuti heroicæ suus in quacunq; virtute morali locus, & erit Fortitudo heroica, Temperantia heroica; præsertim tamen in virtute universali, quæ eadem est cum universali iustitia, valet resurgere dignitas heroica, inquit Piccolomineus grad. 6. ph. M. c. 4. Confer. Thesin. 11.

25. Quia ergo virtus hæc in omni virtutum moralium specie locum habere potest, idè ad circumstantias (personæ, rerum, loci, temporis, &c. Arist. l. 3. Nicom. c. 7.) cujusq; virtutis moralis in hac etiam attendendum, easq; quàm diligentissimè observandas esse, consequens fuerit; illæ enim observatæ ut virtutem formant & constituunt: ita contra neglectæ actionem vitiosam reddunt.

26. Requisita virtutis heroicæ tria constitui possunt. 1. Est impetus, id est ardens amor, summaq; erga rem efficiendam cupiditas: Nam qui virtute heroica excellere volunt, illi primò vehementissimo desiderio & amore ducantur necesse est, mentem suam altius elevent, ad Deum nempe & res divinas, ad bonum publicum, quod privato semper præferendum, & ad summam quandam honestatem. 2. Constantia laboris in perficiendo, opere: Quando enim præcessit desiderium inexplebile, summusque res magnas efficiendi conatus, constantia quoque in re exequenda erit utendum; ne vel voluptatum illecebris, vel molestiis & difficultatibus, à proposito & conatu heroicæ naturæ pelliciantur aut retardentur, quin omne quod contrariatur impedimentum & obstaculum percurrant, & ea, quæ semel susceperunt peragenda, sine defatigatione pertexant, idq; celerrime. 3. Successus & felicitas:

B 2

Oportet.

Oportet enim & perfectio operis accedat, Sicut enim opus laudat artificem non conatus efficiendi: ita quoque effectus commendat Heroem.

27. Neque in hisce omnibus & singulis ullam aliquam molestiam sentiunt heroica ista natura siquidem illis omnia sunt facilia & procliviora, successumque & felicitatem experiuntur longe maiorem, quam alij homines vulgari virtute praediti, & adversissima quoque, & quibus alij homines succumbunt miserime, cum admiratione perferunt, atque adeo humanam conditionem quasi vincunt, ut etiam in summis miserijs decorum personae, tum virtutis suae tueantur.

28. Necessarium autem est heroibus indies in virtutis exercitio desudare, nec unquam honeste agendo delassari: animum enim nostrum, ubi desinit honestum virtutis studium tanto maiora vitia & scelera inficere solent, quanto maioribus virtutibus fuerat exornatus: quippe nihil agendo male agere discimus. Otia enim dant vitia: & quia heroes vehementiores habent impetus, ideo quando impingunt, gravius etiam quam alij homines impingere solent. Nam &

Omne animi vitium tanto conspectius in se Crimen habet, quanto major qui peccat habetur. Iuvenal. Satyr 8. At: Quisquis inops peccat, minor est reus, Petronianus Arbitr. Et hoc ipsum Poetae exemplo Iovis ob oculos nobis ponere voluerunt. Is enim cum terrarum orbe per imperatorias virtutes potitus fuisset, post insignes populorum victorias totus in libidines & in convivia vertitur: neque ulla fuit formosa mulier quam quidem viderit, a qua abstinuerit, testis est Apollonius Rhodius lib. 4. Argonaut. Scilicet

Quæritur Aegistus quare sit factus adulter,

In promptu causa est, desidiosus erat.

Ovid. Exemplo nobis est Alexander Magnus, qui quam primum beligerandi consuetudinem intermisit, ingentia bona animi, illam in periculis solitam constantiam, in rebus molientis efficiendisque, velocitatem, in deditis fidem, in captivis clementiam, in voluptatibus permisit quoque & usitatis temperantiam, hanc tolerabili vini cupiditate fœdavit. Curt. lib. 7. De Reb. Alex. Verum de contrario huius virtuti vitio, Feritate nimirum, paulo post.

29. Facta & operationes heroum qui imitari volunt, impetu & Spiritu eodem quo heroes praediti sint necesse est, alioqui non tam imitatores heroum, quam ridicule heroum simiae fient. Qui igitur heroes imitari volet, dabit operam, ut similis illis sit, quemadmodum filius similis est patri, non quemadmodum imago picta. Senec.

30. Maxi-

30. Maximam quidem Magnanimitas & magnificentia, ut sunt virtutes morales, cum heroica cognationem habent, ita ut hæ etiam heroicæ dici possint, conferendo nimirum eas cum liberalitate. & justo honoris studio: cæterum in collatione cum virtute heroica absolutè & propriè ita dicta, nullo modo ipsis hoc nomen comperit, nisi vel quando & ipsæ maximè fulgent, vel ad finem eminentiorem elevant. Piccol. gr. 6. c. 5.

31. Heroicæ Fortitudinis exempla proponuntur nobis in Abrahamo, Iacobo, Mose, Aarone, Josua, Simsone, item Alexandro Magno, de quo Iustinus lib. 12. hist. Cum nullo inquit hostium unquam congressus est, quem non vicerit, nullam urbem obsedit, quam non calcaverit.

32. Heroicæ Temperantiæ exempla habemus in Eleazaro & septem fratribus, de quibus in historia sacra 2. Macc. 6. & 7. cap. Item in Iohanne Baptista. Carolus Magnus ieiunijs etiam cum periculo valetudinis corpus suum exercuit. Mutius lib. 8. Maximilianus 1. Imperator inter prandia raro bibebat, in cæna ut plurimum ter: atq; ideo valetudo illi usq; ad periodum vitæ prospera semper fuit. Ouspinian. Fl. Claudius Imperator successor Galieni adeo moderatus in cibo ac potu fuit, ut omnibus esset admirationi. Idem. Xenocrates Phrynem nobile illud Athenarum scortum toties à suo sinu intectam & insalutatam dimisit, ut coacta sit meretrix deridentibus quibusdam dicere, statuum hominis, quamvis formosa sum, movere non potui. Laert. Valer. Alexander Magnus, cum à quibusdam admoneretur, ut Darij filias & uxorem forma præstanti spectaret; turpe futurum, dixit, eos qui vicissent viros, à mulieribus vinci. Curt.

33. Heroica Liberalitas in Ptolomæo Philadepho Rege Egyptiorum elucet, qui maximè voluptate amicos suos locupletes effecit. Dicere is solitus est, Melius est ditare, quam ditescere. Alianus. Alexander Magnus ad solvendum es alterum milium suorum decem millia talentorum impendit. Curt. lib. 10. de Reb. gest. Alex.

34. Heroica Magnificencia deprehenditur in Nicia: id cum inter Græcos præcipuus esset, qui magnificencia excelleret, in iudicium à populo vocatus, inquit: Sint mihi ipsi, non populo Atheniensi tantè sumtus facti, meumque operibus ipsis nomen inscribam. Pontanus cap. 12. de Magnificent. ex Plut. Urbes multe ab Alexandro Magno magnificè extractæ Magnificentiam eius probant. Iustin. Curt.

35. Heroica Magnanimitas in Cyro Personarum rege fuisse, litteris proditum est: Nullum n. is non laborem pertulit, nullum non periculum sustinuit honore incitatus. Xenophon de instit. Cyri. lib. 1. Alexander ob magnitudinem

Modum rerum gestarum Magnus appellatus, Curt. lib. 2. hist. ideo principum patum affectabat, ut sibi ob virtutem gloriam, neminiq; immortalitatem compararet. Curt. lib. 1.

36. Heroica Modestia deprehenditur in Socrate, qui Sapientissimus omnium, nihil se scire prater hoc unum quod nihil sciret, dicere solidus est. Bias cum piscatores tripodem aureum inventum ipsi offerent cum hac inscriptione, Sapienti deferetur, Apollinem dixit esse sapientem. Laert. lib. 1.

37. Heroicam mansuetudinem & admirabilem ingenii lenitatem in Theodosio juniore fuisse legimus: is enim cum ab amicis rogaretur, quam ob rem neminem eorum, à quibus ledebatur, supplicio capitis afficeret, Utinam inquit, mihi liceret & mortuos ad vitam revocare. Ad privatas iniurias oportet principem esse facilem ad ignoscendum, in his quod ledunt Rempubl. decet esse severum. Eras. lib. 8. Apoph. Alexander, cum sum loquax quidam ac malecicus multis probris proscinderet, ac diceret, nūquid te satis extrudi? Hercule tibi animum non animadverti, respondit. Laert. lib. 5.

38. Trajanum Imperatorem, & Titum Vespasianum heroica comitate, Bruson. lib. 3. cap. 4. Cyrum Persarum regem mira urbanitate prae ditum deprehendimus. Xenoph. in Inst. Cyri lib. 8. Legimus severam veritatis cultorem Epaminondam Thebanum. Alexand. ab Alexandr. lib. 9. cap. 10. nec non Titum Pomponium equitem Romanum. Corn. Nepos. Cognoscimus verecundiam insignem in Clytomacho athleta. Aelianus. Iustitiam eximiam in Aristide &c.

39. Extremum virtutis heroicæ in defectu quidem, est summa ignavia & ineptitudo ad omnem virtutis impetum, in excessu vero feritas seu bestialitas. Kecker. Syst. Eth. lib. 3. c. 1.

40. Sed de vitio in defectu, quoniam id admodum est rarum, nihil hoc loco dicemus; nemo enim adeo deses & socors est, quin aliqua ex parte ad virtutis studium, & res agendas excitari queat.

41. Feritas seu bestialitas est vitium, humanam appetitionem in ferinam commutans, omnem rationis usum excludens, ex perversione veri amoris ortum, per quod infra hominis conditionem deprimimur. Piccol. gr. 6. c. 13.

42. Dicitur feritas inde, quod per eam homo quodammodo exuat humanam naturam. & efficiatur fera & immanis belua, Vnde & ab Aristotele *ἔρως τῆς θυρίας*, id est à fera belua *θυρίωνος* hoc est feritas & immanitas nominatur. Quod enim longius à ratione homines discedunt, ut qui minus ingenio valent, eò propius absunt à feritate bestiarum, quae vim iracundiae exhibere nequeant. Bodin. pag. 787. de Rep. Et quemadmodum virtus heroica

*Heroica fulgor virtutum moralium, supra conditionem humanam elevat: ita
feritas humana appetitionis perversio infra hominis conditionem nos deprimis*
Piccol. l. c.

43. Distingui potest feritas quod alia sit absq; ratione, alia cum
ratione. Absq; ratione vel nihil prorsus rationis habet, vel saltem
aliquid.

44. Omnem rationis usum excludit feritas hominum mania
sive infania mentis laborantium, sic Cleomenem Spartanorum re-
gem ferus ex perpetratione diuturna cum Scythi habitum ebrietati comparasse.
hacq; occasione in amentiam versum, suos ipsum sibi artus ferro detruncasse.
Feritas isthæc propriè digna vituperio non est, cum non per se, sed
per accidens corruptum sit rectum rationis iudicium. Zuing. in
Tab. Piccol. gr. 6. Ph. M. c. 14.

45. Ex parte rationem excludit feritas ex morbo humorumq;
depravatione consurgens, qualis est ea mulierum picâ labo-
rantium. Vel etiam ex naturali quadam, sive à prima nativitate or-
ta more & assuetudine; eaq; est vel Communis universæ cuiusdam
nationi & integrorum populorum, ut qui in Sylvis & montibus nudi be-
stiarum in morem oberrant, ut Barbarorum quidam $\alpha\upsilon\theta\rho\omega\pi\acute{\omega}\phi\alpha\gamma\omicron\iota$, Læstri-
gones, Cyclopes: Vel magis propria singulorum, ut qui à societate ci-
vili se subducunt instar bestiarum vitam degunt, & vel pilos sibi evellunt, vel
ungues erodunt, atq; adeo proprium corpus suum horribiliter tractant. Arist.
7. Eth. c. 7. Piccol. gr. 6. Ph. M. c. 14.

46. Cum ratione coniuncta feritas est, quam homines ex emi-
nentia quadam vitiosi habitus patrant sine morbo aut barbarie, si-
ve quando nec morbosus sunt, nec in barbarie vivunt. Atq; hæc feritas
non distinguitur specie à vitio, sed tantum per magis & minus, quatenus est ex-
superantia vitij, proprièq; feritas dicitur, & verè virtuti heroica opponitur. Vt
enim hæc est eminentia virtutis moralis: ita illa est vitiositas modum communem
superans, sive est ipsa eminentia & apex vitij. Piccol. l. d.

47. Feritas hæc extremo digna est vituperio, quoniam in hominis pot-
estate quodammodo sita est. Nam qui hoc laborant vitio, propriâ suâ malitiâ o-
mnem humanitatem prorsus exuerunt, & beluinam naturam induerunt, exter-
naq; tantum figura homines sunt: quin igitur summo dedecore & insigni turpi-
tudine eos dignos censeamus? Vituperium enim vitiositati deberi omnium con-
sensu constat: summum ergo vitiositati summæ, quam feritatem vocamus, homi-
nesq; iccirco pessimos immanens appellare solemus. Zuing. in Tab.

48. Differt hæc feritas a vitio humano, seu ut Arist. loquitur $\epsilon\tau\epsilon\rho\upsilon\nu\tau\eta$
 $\gamma\acute{\epsilon}\nu\omicron\varsigma\ \alpha\alpha\kappa\eta\iota\alpha\varsigma\ \acute{\iota}\sigma\tau\iota$. Nam in vitiosis reliquis hominib; aliquid tamè & metu &
consc

conscientie lumen remanet: at in istu lumen illud omnino sepelitur. Gocl. disp.
eth. ita ut non amplius homines sint, omnia enim humana putarunt a se esse
aliena; sed fera & immanes bestiae, nihilq; cum hominibus recta ratione predi-
tis praeter vocabulum commune habent. Eras. lib. 2. de cop. Verb. Ob nimiam
ergo ferocitatem leones, ob libidinem ursi, ob voracitatem sues
potius nuncupandi.

49. Quemadmodum autem virtus heroica in singulis virtutibus lo-
cum habere potest: ita & oppositum ejus Feritas in singulis vitijs.
ita ut tot sint feritatis species, quot vitiorum virtuti morali oppo-
sitorum, Feritas nimirum opposita Fortitudini, Feritas opposita
Temperantiae, Liberalitati. &c. Quod ut manifestum evadat, age exem-
pla quaedam proponamus.

50. Exemplum Feritatis oppositum Fortitudini praebet nobis Ne-
ro, qui sapius, ut se moriente terrarum deflagratio consequeretur, optavit; ma-
ximum simul & praecipuum interfecit; immo & sibi ipsi manus violentas intulit.
Eiusmodi feritatem nobis Poetae in Cyclopiis depingere voluerunt, qui
neq; Iovem, neq; superos vel tantilli faciebant, immo adversus Deos tonitrua
fulgura, & submina excitare conati sunt, &

Manibus magnum rescindere caelum

Aggressi, superisq; Iovem detrudere regnis.

Sed non sine ultione divina:

Nam pater omnipotens densa inter nubila telum

Torsit, praecipitesq; immani turbine adegit.

Virgil. 6. A Encid.

51. Exemplum feritatis oppositum Temperantiae deprehenditur in
Mulcaste rege Tunetano. Is enim tamen si exul in Italia & Germania vaga-
retur, ac de opibus Caroli V. Imperatoris, in quo spes omnes collocarat, omnino
desperaret: nihilominus ad pavonis unius quo vescabatur, condimenta vix aurei
nummi centum sufficiebant, ut quidem Iovius scribit: & ut suavitatem ac
dulcedinem, quae ab harmonia proficiscitur, incundius molliusq; hauriret, oculos
velabat, quod duobus sensibus duplicem voluptatem simul percipi non posse di-
dicisset: sed non sine ultione divina ferro candenti oculorum humores sensim ex-
ficcante, iussu filiorum obcaecatus est, ac imperio spoliatus. Bodin. lib. 4. &
lib. 5. de Rep. Semiramis concubitum filij petens, ab eodem interfecta est.
Justin. lib. 1.

52. Exemplum feritatis oppositum Fortitudini & Temperan-
tiae, est Cambyles Cyri filius Persicae Monarchiae rex secundus, qui non modo
fratrem suum Mergim interemit, sed & Sororem, quam (horrendum auditu)
matrimo-

matrimonio sibi iunxerat, iamq; gravidam, horrendâ morte affecit: Donec tandem proprio ense, qui sua sponte evaginatus, ipsi equum conscendenti eius vulneravit, ipse quoq; periit. Justinus Chron. Carion Lubens etiam heic Sardanapali, Heliogabali, & similium monstrorum intemperantiam plusquam beluam nunc prater eo.

13. Exemplum feritatis oppositum Liberalitati simul & Misericordiae circa annum Christi 970. edidit Hatto Episcopus Moguntinus. Is enim, cum magna fames totam Germaniam premeret, & copia mendicorum elemosynam petentium, ea spe, quod esca vel panis nonnihil ex Episcopi liberalitate accepturi essent, ad eum concurreret, omnes ad se venientes in horreum quoddam amplum congregari iussit, congregatos vero omnes subiecto horreo igne concremavit confecitq;, cumq; eorum in medijs flammis ardentium audivisset ululatus, audite dixit murium vocem. Sed & hanc tyrannidem Deus protinus ultus est; Mures enim Dei nutu catervatim illum invaserunt, dieq; nocteq; afflixerunt, vivumq; devorare non destiterunt: ita ut, cum miser ille turrim in medio Rheni iuxta oppidum Bingium extructam, & ab hoc casu murium turrim postea dictam aufugisset, nec ibi à murium morsibus tutus esse potuerit. Mures enim facto agmine per Rhenum natantes in turrim conscendere, iustum Dei iudicium executuri. Quod agnoscens miser horrenda morte inter mures periit tertio Episcopatus anno. Ferunt quod mures nomen quoq; eius delentes à parietibus abraserint. Cosmograph. Munst. lib. 3. Huiusmodi monstrum etiam fuit Mezentius, cuius crudelitatem Virgilius 7. Æneid. describit, quod viva hominum corpora cadaveribus alligavit,

Componens manibusque manus atque oribus ora,
ut in eorum tandem complexu miserè expirare coacti sint.

14. Verùm sufficiat quaedam tantum feritatis exempla recensuisse. Quae cum vel magnitudine, vel modo, ab humanis vitijs differant, & ad beluam feritatem proximè accedant, iure feritatis nomine designantur. Humanum est peccare: at humanam naturam nedum exuere, sed omnino pervertere, omnem à se pietatem, caritatem & religionem depellere, humanum non est; sed ferinum. Piccol. gr. 6. cap. 13.

DE CONTINENTIA.

15. Haecenus de perfectitudine tam virtutis quam vitij; ad Virtutum imperfectarum explicationem nunc ut descendamus, ratio Methodi ab Aristotele servata suadet, ex cuius copiosa tractatione, quam lib. 7. Eth. instituit, nos, quae maxime necessaria videbuntur, deducemus.

56. Est verò virtus moralis imperfecta habitus electivus imperfectus, qui appetitum indomitum & reluctansem rationi subijcit. Donald. lib. 3. Eth. c. 12.

57. Differt virtus imperfecta à perfecta tanquam dispositio ab habitu: Sunt enim illa potius semivirtutes, principia, & via quedam ad virtutem. Nam in virtute perfecta ratio plenum in appetitum exercet dominium, cumq; valide sibi subijcere potis est: In virtute verò imperfecta, quia ratio pleno illo in appetitum dominio destituitur, non nisi magna lucta appetitus à ratione sese domari patitur, Arist. lib. 7. Nicom. c. 1. & 2. Donald. l. d.

58. Versatur verò virtus imperfecta vel circa voluptatem, vel circa dolorem: Circa illam quæ versatur Continentia, quæ circa hanc Tolerantia dicitur. Arist. l. d. c. 4. Donald. l. d. Gol. p. 254.

59. Non disitemur autem hoc loco tot quidem virtutum imperfectarum species constitui debere, quot sunt virtutis perfectæ seu moralis; principia enim, media, & viæ à suo fine & termino numerum, naturam & conditionem recipiunt. Piccol. gr. 3. Ph. M. c. 14. Verùm quoniam virtutis imperfectæ species singulæ nominibus proprijs destitutæ sunt, propterea summis hisce duobus capitibus contenti esse cogimur, eorumque nominibus proprijs tanquam cõmunibus uti. Vide Quæst. 8.

60. Etsi autem hæ duæ imperfectæ virtutis species cum Temperantia concidere videntur, quia circa idem cum ea obiectum, corporis videlicet voluptates & dolores, ex gustu & tactu ut plurimum prodeuntes versantur; quia & actionibus nempe in expetendis vel fugiendis voluptatibus & doloribus conveniunt: Maximum tamen inter hæc est discrimen. 1. Continentia enim & Tolerantia tantum sunt dispositiones; Temperantia verò habitus. 2. Formæ agendi differunt. Temperans enim agit ex προαίρεσις, id est consultò & plena voluntate; Contingens autem & Tolerans solum ex affectu, nec plena voluntate agit. 3. Temperans moderatas, & ad recta rationis præscriptum conformatas habet cupiditates: Contingens verò & Tolerans pravis adhuc agitantur cupiditatibus, quibus vi quadam resistere, & aureo Palladis freno, id est, ratione eas domare cogantur. 4. Quid? quod Temperantia circa voluptates gustus & tactus tantum versetur; Continentia verò & Tolerantia circa voluptates & dolores sensuum omnium. Arist. lib. 7. Eth. c. 7. Magirus in l. 7. c. 1. p. 646. item p. 663. & 679.

61. Continentia Græcis dicitur ἐγκράτεια, quasi dicas virtus refrægens repugnantem appetitum. Latinis continere, quod est invitum, quasi & repressio

repugnante tenere, & ἐγρηγοῖσθαι proprie est, qui pro virtute contra vitium
etatur.

62. Ante quam autem ad definitionem Continentiæ pervenia-
mus, prius aliquot vocabuli Continentiæ ἐμονυμίας removenda
sunt.

63. Sumitur enim vocabulum Continentiæ 1. Abusivè seu ge-
neraliter, & sic coincidit cum Temperantia & Abstinencia. 2. Specialiter acci-
pitur, quando pravas omnium sensuum, potissimum verò gustus & tactus conce-
piscencias frenat, inq; eorum rationi ducit; atq; hoc modo acceptum huius est
loci. Usurpatur 3. specialissimè à Theologo pro abstinentia ab omni dele-
tatione venerea. Confer Donald. l. d. p. 271.

64. Est ergò Continentia hoc loco affectio proba sequens rati-
onem rectam, quâ homo se abstinere à voluptatibus repugnante cu-
pitudine. Piccol. gr. 3. ph. M. c. 14. Savanor. Ep. Eth. concl. 14.

65. Objectum Continentiæ est vel primum vel secundarium.
Primum Continentiæ objectum sunt voluptates corporis, quas
percipimus ex alimento & venere, quasq; natura ipsa præscripsit, circa has enim
primariò continentia versatur. Secundarium verò continentiæ objectum
sunt voluptates non naturales, quas percipimus ex divitijs, honoribus,
cupiditate vindictæ: circa has enim non primariò versatur continentia, sed cum
adiectioe quadam, ut nempe incontinens circa tales voluptates non dicatur ab-
solutè, sed addito nomine istius voluptatis, nempe continens iræ, continens vindi-
ctæ. Thom. Comp. sum. Theol. c. 155. Gol. l. 7. c. 4.

66. Differt continens à pertinaci, quod ille melioribus se rationibus à
sententia sua, si bona non sit, dimoveri patitur: hic verò in proposito suo etiam
in malo inhonestoq; perseverat, nec ulli se patitur rationibus ab eo abduci: à Gre-
cè vocatur ἰσχυρογνώμων. Gol. l. 7. c. 4. p. 277. Mag. l. d. p. 647. item p. 691.

67. Pertinacium verò triplex ab Aristotele genus constituitur.
1. Quidam enim dicuntur ἰδιογνώμονες, & sunt ij qui opiniones suas per-
tinaciter & obstinatè defendunt, ijsq; ostrei in morem adherent. 2. Alij vo-
cantur ἀμαθῆς indocti, qui licet non possint opiniones suas bonis rationibus
defendere, discedere tamen ab ijs nolunt. 3. Quidam denique sunt ἀγίνοι
homines rudes & agrestes, qui solum persistunt in ijs, quibus sunt assueti: non
magnopere solliciti utrum bene vel male sentiant, rationes aliorum neq; audire,
nedum intelligere volunt aut possunt. Arist. l. d. c. 9. Donal. p. 280.

68. Eorum verò qui à sententia sua & præconcepta discedunt opi-
nionem duplex refertur genus ab Aristotele. 1. Alij enim propter amo-
rè veritatis & justitiæ hoc faciunt: qui postquâ meliores & veriores alio-
rū cognoverūt rationes, ultrò à sua discedunt opinione. 2. Alij ex quadā animi

levitate & inconstantia hoc faciunt, aut propter aliquam causam minus honestam, (forte vilis lucelli gratia) illi verè continentés, hi verò incontinentes iure censentur. Dd.l.d.

69. Exemplum Continentiæ est Hercules, qui, cum venisset ad annos pubertatis, in solitudinem exiit, ibiq; sedens diu multumq; secum dubitavit, cum duas cerneret vias, unam voluptatis, alteram virtutis, utrum ingredi melius esset: animadvertens reluctanti appetitum voluptati restitit, & maximam difficultatē appetitum superavit. Cic. 1. off.

70. Extremum Continentiæ in defectu consistens est, cum quis voluptates adeò averfatur & fugit, ut ne propter honestam quidem voluptatem dignum aliquid laude suscipere velit. Quia verò nulli vel pauci reperiuntur, qui adeò distortæ sunt naturæ, ut simpliciter omnes voluptates contemnant, idè hoc vitium est ἀναπορομ. Donald. l. d. p. 274. Kecker. l. d. p. 335.

71. In excessu peccans vocatur Incontinentia, quâ tum affectibus alijs, tum in primis in gula & venere modum quis excedit, ita ut à pravis cupiditatibus quodammodo invitus & nolens ad peccandum pertrahatur. Dd.l.d.

72. Species incontinentiæ duæ sunt, Una dicitur προπετία præcipitantiæ; altera ἀδυνεία infirmitas vocatur. Arist. l. d. c. 7. Donald. p. 276.

73. προπετία est, quâ quis subito & quasi per imprudentiam, antequam potuisset cogitare, à vehementiore aliquo affectu abripitur ad peccandum. Arist. l. d.

74. ἀδυνεία est, quâ quis pravis cupiditatibus & affectibus aliquandiu resistens, tandem defatigatus ab illis superatur, & ad peccandum præter voluntatem abducitur. ut puta: si quis præter expectationem in hostem suum, qui sibi mortem minatus fuit, incidat, eumq; invadens vulneret, aut interficiat. Arist. l. d. Gocl. disp. Eth. 13. ch. 39.

75. προπετία, quoniam præter suam opinionem subito à vehementia affectuum abripiuntur, nec ut ἀδυνεία spatium præveniendi se adversus eos adventantes habent, minus etiam quàm hos culpandos esse censet Aristoteles l. d. c. 8. Magirus in hunc locum. pag. 686.

76. ἀδυνεία verò quia aliquo modo per naturæ vitium inest, minus est sanabilis, quàm προπετία præcipitantiæ. Naturalia enim difficulter mutantur.

77. προπετία

27. προπετῆς iterum in duplici sunt differentia, vel enim sunt οἱ ὄξεις, qui flavā, vel οἱ μελαγχολικοί, qui atrā vexantur bile: illi propter bilis celeritatem; hi propter imaginationes vehementiores rectæ rationis iudicium minimè expectant. Gocl. Disp. Eth. 13. Th. 41. Arist. 7. Eth. c. 7.

28. Deinde Incontinentia alia est κατ' ἄνθρωπον, sive humana, alia ἐπὲς τὸν ἄνθρωπον supra hominem, sive non-humana. Arist. 1. d. c. 5. Gocl. 1. 7. c. 5. Magirus in hunc locum.

29. Humana Incontinentia est, quæ frequenter in homines cadit. Estque vel κυρίως & ἀπλῶς dicta, vel dicta κατὰ τὴν καὶ τὴν πρόθεσιν. Idem.

30. Κυρίως & ἀπλῶς simpliciter dicta humana continentia est, quæ circa voluptates naturales & necessarias, ut puta alimentum & veneris versatur.

31. κατὰ τὴν καὶ τὴν πρόθεσιν, secundum quid & per additionem, est incontinentia honoris, pecuniæ, lucri. & c. Idem.

32. Non-humana continentia est vel θηριώδης bestialis, cuiusmodi est in monstrosis hominibus: vel νοσηματώδης morbosa, qualis est in mulieribus nonnullis gravidis picæ laborantibus, item in hominibus βαλμίδι laborantibus: vel denique est ἐπίδησις consuetudinaria, quam homines contrahunt ex depravata & inveterata consuetudine, ut cum homines per pravam consuetudinem sunt gulosi. Arist. 7. Eth. c. 5.

33. Atque ex hisce, quæ de Continentia & Incontinentia à nobis dicta sunt, hæc cum Philosopho elucimus consuetaria:

34. I. Incontinentia differt ab Intemperantia. I. Incontinentia enim dispositionem notat, Intemperantia habitum. 2. Incontinens vehementibus ducitur cupiditatibus, quibus resistendum esse autumat; intemperans vero etiam quibusvis turpibus voluptatibus indulget. 3. Incontinens non agit ἐκ προᾶς, id est certo & deliberato consilio propositoque, quemadmodum intemperans, sed repugnante vel ratione, vel appetitu. 4. Intemperantem facti non facile penitet, unde & insanabilis est; incontinens facile pœnitentia ductus sequitur meliora probatque.

35. II. Incontinens agit partim sciens, partim ignorans. Sciens agit quatenus in genere scit, quid sit honestum vel turpe, quid faciendum vel omittendum. Ignorans autem dicitur ageret, quatenus propter animi perturbationem & vehementiam affectuum, universalem illam scientiam non applicat singularibus illis actionibus, circa quas versatur, & sic scientia sua, quam

Habet non utitur in agendo: Sed eius quodammodo obliviscitur & contra eam agit. Arist. l. d. c. 3.

86. Habitu igitur scientie præditus quidem est, actu verò ea in agendo non utitur, quin potius (ut dictum) contra eam agit, vehementioribus animi perturbationibus & affectibus abreptus. Idem l. d. Gocl. l. d. th. 50.

87. Neq̄, tamen solo appetitu incontinentes peccat, quoniam etiam rationem habet concurrentem, licet debilem & infirmam: qua patitur se appetitu vinci & in eius sententiam pertrahi, unde & bestia quia ratione prorsus sunt destituta, soloq̄ ducuntur appetitu, incontinentes propriè dici nequeunt. Idem l. d.

88. 3. Tria autem in incontinente consideranda esse tempora existimamus: Unum est, quod præcedit eius actionem, & tunc omnino scientia honesti tam generali quàm speciali præditus est. Alterum tempus quando jam in ipsa actione incontinentes versatur, & tunc similis est ignorantibus, quia animus eius ita perturbationibus & pravis affectibus obruitur, ut scientia ea quam habet uti in agendo, & secundum eam agere non possit, ut nescit ille qui somno vel ebrietate obruitur. Tertium tempus est post actionem, seu post commissum iam peccatum, tunc enim paulatim ad se redit, & ad eam, quam ante habebat, scientiam, atq̄ ita facti sui ipsum poenitere incipit. Idem l. d. V. G. Adamus ante esum pomi habebat scientiam mandati divini de non comedendis fructibus arboris scientie boni & mali: In ipso autem esu pomi obliviscitur huius mandati: post esum, recordatus est iterum præcepti divini: ideoq̄ eum facti sui poenitebat, & conabatur se à conspectu Dei subducere. Kecker. l. d. c. 4. Gol. p. 274.

89. 4. Cupiditatem verò quàm iræ incontinentiam peiorem esse probat Aristoteles lib. 7. Eth. c. 6. quatuor rationibus. 1. Ira enim incontinentes aliqua ex parte rationem, qua illatam iniuriam vindicare iubet, audit, eiusq̄ mandatum conatur exequi, in eo tantùm peccans, quod nimis citò antequam plenum rationis mandatum affecutus fuit, ad vindictam profilit: Incontinentes verò circa voluptatem cupiditates rationem in totum non audit, sed tantùm ad ea, quæ sensibus grata & iucunda videntur, cæco quasi impetu fertur. 2. Quia iræ incontinentia magis ex natura vitio, id quod in biliosis videre est, quàm ab hominis voluntate proficiscitur; Incontinentia verò voluptatem à voluntate exciatur. 3. Quia incontinentes iræ aperte & candidè; incontinentes circa voluptates astute & callidè rem gerit. 4. Incontinentes iræ iusto ad vindictam dolore excitari videtur; Incontinentes verò circa voluptates nullum honestum habet prætextum, sed ex mera petulantia peccat. Thom. secunda secunda 9. 150. a. 4. Arist. l. d. c. 6. Magirus in hunc locum p. 673.

90. 5. Intemperantem quoque longè deteriorem esse quàm incontin-

incontinentem probat ipse quoque Aristoteles 7. Eth. c. 8. quinque
potissimum rationibus. 1. Quia, inquit, intemperans ἐκ πρῶτου ἐως con-
sultò & data opera; incontinens verò πρὸ τῶν πρῶτων ἑστὶν præter suum propo-
situm peccat. 2. Quia intemperans corruptum habet iudicium, unde nec pecca-
tum agnoscit, nedum ut ipsum facti sui penitere possit; At in incontinente sa-
num adhuc est iudicium, ut peccatum suum agnoscere, illudq; dolere possit. 3.
Quia intemperans est ἀνίατος & insanabilis, quia enim peccatum suum non
agnoscit, ideo nec sanari & liberari ab illo potest. Incontinens contra quia bo-
nis admonitionibus locum adhuc relinquit, facile curari etiam potest. 4. Intem-
perans continuo vitio, seu hydropicus quidam; incontinens verò per intervalla
seu epilepticus laborat. 5. Incontinens non nisi à vehementioribus; intemperans
verò etiam à levissimis abripitur voluptatibus. Hinc intemperans verè malus &
improbus φῶλον & ἡδὴ τῶν ἡδῶν; incontinens autem solum ἡμιπρόνως & so-
mmalus; habet enim sanam adhuc ex parte rationem, neq; plena sicut intempe-
rans voluntate peccat, in quo etiam ratio planè est corrupta. Thomas sec. se-
cundæ q. 156. a. 3. Keck. l. d. p. 358. Magirus in hunc locum p. 685.

91. 6. Nullum etiam incontinentem revera dici posse pruden-
tem hisce demonstrat fundamentis Aristoteles 7. Eth. c. 1. & 10. 1.
Quia, inquit, nullus incontinens quemadmodum vir prudens ad res gerendas
aptus est. 2. Quia vir prudens non patitur se abripi cupiditatibus ad peccandum
sicut incontinens. 3. Prudens est plenè bonus, incontinens autem non potest plenè
bonus dici, quia pravis sese vincit patitur voluptatibus ut malè agat. 4. Quia vir
prudens & scit, quæ agenda, & ea ipsa quoq; agit; incontinens scit quidem agē-
da, sed ea non agit. Confer. Keck. l. d. Magir. in comment. in 7. Nicom.
c. 1. p. 646.

92. Licet verò reperiuntur aliqui, qui, etiamsi incontinenter
vivant, consilijs tamen valent, feliciterque tam sua, quam publice
negotia administrant: tamen in ijs vera non est prudentia, sed quæ-
dam naturalis potius in rebus gerendis dexteritas solertiaque, quæ
absque prudentia & reliquis virtutibus moralibus alicui adesse po-
test, unde tamen nemo vir bonus propriè dicitur. Arist. l. 7. c. 10. Ma-
girus in hunc locum p. 696.

93. Neque tamen incontinens, quia spontè peccat, improbus
est dicendus, nam nec consultò, nec insidiosè & fraudulenter pec-
cat, sed tantum ex animi quadam perturbatione, quâ præter opini-
onem & voluntatem suam subito ad peccandum abripitur. Dd. l. d.
Magirus l. d. p. 697.

94. Exemplum Incontinentiæ proponit nobis Ovidius in *Medea*, quam hoc modo loquentem introducit:

Me trahit invitam nova vis aliudque cupido,
Mens aliud suadet: video meliora proboque:
Deteriora sequor.

DE TOLERANTIA.

95. Atque hæc de Incontinentia prima virtutis imperfecta specie; sequitur altera, nimirum Tolerantia.

96. Est autem Tolerantia seu patientia affectio proba rationem rectam sequens, quâ homo perfert dolores, repugnante irascendi appetitu honestatis gratiâ. Piccol. gr 3, c. 14. Arist. l. d. c. 1. Kecker. l. d. p. 341. Donald. l. d. p. 277.

97. Finis itaque ejus est omnis generis mala, que depelli non possunt, patienter & placidè perferre, idque honestatis gratia. Vnde Erasmus in *Apop.* Tolerantia malorum, inquit, si suscipitur ob res honestas, magnam meretur laudem; si ob turpes, non solum non meretur fortitudinis laudem qui tolerat, sed hoc inferior est ac vir peior, quò constantius se gesserit.

98. Objectum Tolerantiæ sunt dolores, quibus plerique succumbunt, in quibus perferendis tolerans proprie est occupatus. Licet enim & incontinens circa dolores quadatenus versetur; sit tamen illud improprie, siquidem magis in superandis, quàm perferendis doloribus est occupatus. Vnde & Continentia magis, quàm Tolerantia expetenda.

99. Differt Tolerantia à Fortitudine non tantum ut dispositio ab habitu, imperfectum à perfecto, sed etiam quia Fortitudo in adeundis quoque periculis; Tolerantia verò tantum in impositis perferendis est occupata.

100. Exemplum Tolerantiæ habemus in Severo Imperatore; sepe in per altissimos montes hyeme sævâ, nivibus è cælo ingruentibus ivit aperto capite: ut milites ad alacritatem patientiamque laborum re ipsa cohortaretur. Herodianus. Celebrantur quoque hoc nomine Heraclitus & Diogenes Cynicus, nunquam de vigore animi quidquam remittentes, calcatis turbinibus fortitorum adversus omnem dolorem & miseriam, uniformi duravere proposito. Solinus cap. 4. & Laert. Ante omnia verò celeberrimum est exemplum Jobi in sacris descriptum.

101. Extremum Tolerantiæ in genere est Impatientia, que impatienter, agrè & moleste labores, dolores, & id genus alia sustinet ac perfert.

102. In specie verò extremum ejus in excessu est pertinacia, in defectu mollities.

103. Pertinacia sive obduratio est vitium modum excedens in perferendis doloribus, eosq; sine honestatis ratione perferens. Donald. l. d. p. 278. Keck. l. d. p. 342.

104. Hoc vitio quondam notati fuerunt Spartani, de quibus Cic. lib. 2. Tuscul. Sparte, inquit, pueri ad aram sic verberibus accipiuntur, ut nihil visceribus sanguis exeat, nonnunquam etiam ad necem, quorum non modo nemo exclamavit unquam, sed ne ingemuit quidem. De Spartano quoq; puero refertur & illud, cum vulpeculam esset furatus, eamq; sub veste abantiâ teneret, & bestia illius latus ad intestina roderet, tacite dissimulavit: & quibusdam eum obiurgantibus & dicentibus, præstat obtigere vulpeculam, quam ad necem servare; Nequaquam dixit, quin immò præstat doloribus immori, quam committere ut ob mollitiem vitam lucri fecisse dicar. Kecker. l. d.

105. Mollities est vitium, quo planè nullos labores aut dolores, etiam minimos honestatis gratia subire, aut perferre volumus. Gocl. lib. 7. Eth. c. 1. Donald. l. d. p. 280.

106. Estq; duplex, Voluntaria, & Non-Voluntaria. Voluntaria est, quæ nostra culpa nostraq; vitio est contracta: atq; idè merito reprehendenda, cuiusmodi est in hominibus delibatis, voluptarijs, ignavis, otiosis, òsq; qui lusui dediti sunt.

107. Non-voluntaria proficiscitur. 1. A Natura: ut quædo una natio alteram mollitiæ superat, quod de Persis & Sybaritis dicitur, quod alijs nationibus fuerint molliores, unde proverbium, Persica mollities, item Sybaritica mollities, originem suam traxere. 2. Ab ætate: Infantes enim pueri & adolescentes viri & adulti plerumq; sunt molliores. 3. A sexu: sic femine molliores solent esse viri. 4. A morbo: Qui enim diuturni morbi divexantur, minus laborum sunt patientes, quàm homines sani & robusti. Kecker. p. 343. Donald. p. 280.

108. Exemplum mollitiæ offertur nobis in Sardanapalo rege Assyriorum. Is enim omnium hominum longè fuit effœminatissimus vel ut Justinus loquitur, vir muliere corruptior, inter mulieres desidens, colum & lanam trahabat, adè totus immersus voluptatibus, ut rix unquam sui conspectum præberet. Justin. lib. 1. Velleius lib. 1. Athenæus. lib. 12.

109. Hactenus tam de perfectitudine quàm imperfectitudine virtutis & vitij detinens; nunc de eisdem πρὸς ἑλκετικῶν.

D

Questio

Quaestio I.

An virtus heroica specie differat à virtute morali?

Questionis initialis esse debet, Num sit, vel detur inter mortales virtus aliqua heroica. Quid sit? Quaestio An sit praecedat, effatum Philosophorum est. Egregium id & nos esse dicimus, & meritiò observandum. Quære enim quid sit, cum ignoretur quod sit, vel an sit, est nihil quærere. Arist. 2. Poster. c. 8. At nos, brevitatis quippe studiosi, dubitationem sive liticulam hanc subsellis otiosorum perpendendam, amputandam vel diducendam relinquentes, ita hac de re dubitamus, ut ne recta quidem ratione, nedum heroico animo praeditos existimemus eos, qui Heroicam virtutem vocare in dubium velint, cum nequaquam dubitandum sit de ijs, quæ sensibus etiam sunt obvia, inter quæ est & virtus heroica. Tres enim rerum in moribus fugiendarum species esse ait Aristoteles 7, Eth. c. 1. κακίαν, ἀκρασίαν, καὶ ἀργιότητα. At τὸ ἀργιότητα contraria ἀρετὴ ἡρωική. Arist. ibid. At contraria nata sunt fieri circa idem subiectum. Arist. 2. Top. c. 3. Piccol. gr. 6. c. 10. Immo oleum & operam, quod dici solet, perdidissent ij, qui de virtute heroica iam antè multum diuq; egregie disseruere. Vide Piccol. g. 6. Ph. M. Magir. Comment. Eth. p. 640. Et nos quoq; laborem serueremus, nisi virtuti heroicae in hac mortali vita locus concederetur. Quare nos haec manifesta satis missa faciemus, consideraturi potius ea, quæ maiori consideratione sunt digna: Et quidem, Num virtus heroica specie differat à virtute morali? Quaestioni affirmativam tenet D. Thomas 1. p. 2. q. 54. a. 3: eamq; astruere satagit. 1. A fine: Quæcunque fine differunt, illa etiam specie differunt. Atqui virtus heroica fine differt à virtute morali; siquidem haec ad actiones humanae naturæ, heroica vero ad actiones congruentes gradui & naturæ eminentiori nos disponit. Ergo & specifica inter haec duo erit differentia. Nec obstat quod tantum per magis & minus differre videntur, nam & Magnificencia & Liberalitas magnitudine & parvitate differunt, quæ tamen nihilominus pro distinctis ab Aristotele virtutibus habentur, lib. 4. Eth, cap. 1. & 2. 2. Alia ratione id ipsum probavit ex oppositis earum: Feritas inquam, quæ virtuti heroicae opponitur, specie distincta est à vitio, quod morali virtuti contrariatur. Qualis enim est ratio hominis ad feram, talis est etiam vitij ad feri-

Quaestio

datomi



statem. At qui homo specie distinguitur à fera: Ille namq; ratione præditus, sicut Cic. i. off. rationis particeps est, per quam consequentia cernit, principia & causas rerum videt, earumq; progressus & quasi antecessiones non ignorat: hæc tantum, quantum sensu movetur ad id solum quod adest, quodque præsens est, se accommodat, paululum admodum sentiens præteritum aut futurum. Hanc inani ergo opinione ductus fuit D. Thomas, dum virtutem moralem ab heroica specie distinctam esse voluit: 3. Addi posse videtur ad confirmandam ipsius opinionem & hoc. Virtus moralis & heroica à causis specie differentibus promanant: Moralis enim virtutis habitum homo propria industria, crebris nimirum & iteratis actionibus, comparare sibi potest: At virtus heroica non sola humana industria comparatur, sed accedat oportet peculiaris divinæ gratia. Magis. lib. 7. Eth. com. p. 640. Kecker. Syst. Eth. l. 3. c. 5. Proinde specie quoq; utramq; virtutem à se invicem distare existimandum est.

Verum non in loco sapit D. Thomas: sed toto errat, ut ajunt, celo. Virtutem enim heroicam specie minimè distinctam esse à morali hæc stabilire quimus fundamentis: 1. Quæcunq; tantum secundum magis & minus differunt, illa nequaquam specie differre dicenda sunt. At qui virtus moralis et heroica tantum secundum magis & minus differunt. Utraque ut unq; refertur ad bonum civile, solum in hoc discrepantes, quod virtus heroica exactius firmitus & splendidius finem attingit. Piccol. g. 6. ph. M. c. 5. Ergo nec specie, sed gradibus tantum differunt. 2. Probatum id ipsum à definitione virtutis utriusque: Quibus enim una & eadem competit definitio, illa non distinguuntur specie. At virtuti heroica non alia & diversa à virtute morali datur per essentiam definitio. Ut enim hæc definitur habitus ortus ex præelectione in mediocritate consistens: ita & illa. Ergo. 3. Quæcunq; obiecto conveniunt, specie non differunt. At virtus heroica cum morali convenit obiecto: Quicunq; enim inter heroës unquam numerantur, non alia fortitudinis aut Magnanimitatis, iustitiæve forma refulserunt, quam ea, quæ virtutibus moralibus accensetur. Ex quo denique consicitur, virtutem heroicam eandem cum morali, minimè vero specie distinctam esse.

Pro veritatis ergo cognitione notandum est. i. Specie distingui dupliciter contingere posse, vel propriè, quando nimirum alterum ab altero per interna principia ad essentiam pertinentia distinguitur, vel minus propriè, quando per externa principia ac per accidentia ad materiam spectantia res à re distinguitur: hoc & non illo modo virtus heroica, à morali discriminatur.

2. virtutem heroicam dupliciter usurpari, vel pro virtute divina seu infusa, vel acquisita, seu virtutum moralium splendore; illa specie distincta est à morali virtute, hæc non item. 3. Distinguendum esse inter fines. Quidam enim planè à se invicem distincti sunt, ita ut unus nunquam feratur ad alterum: Quidam sunt distincti quidem sed tamen subordinati, ita ut unus dirigatur ad alterum, cum eoq; concurrere quandoq; possit. Quæcumq; priori modo finibus distincta sunt, illa etiam specie differre censendum est: posteriori modo minime. 4. Sciendum præterea, Virtutem heroicam à morali præter graduum differentiam distare. 1. Causa efficiente. Virtus namq; heroica singulari & extra ordinario modo à Deo est; Virtus moralis à Deo etiam quidem est, at secundum generalem tantum & ordinariam Dei actionem. 2. Effectis. Heroica enim virtus mirabilis exercetur impetu labore constantiaq; ; Moralis verò minori & imbecilliori actione ad usum transferri solet. 3. Subiectis. Ut enim virtus heroica paucorum, ita moralis plurium est. Nec tamen hinc virtutem utramq; specie à se invicem distare colligere licebit.

His ita præassumptis ad argumentum prioris opinionis primum quo ostendebatur virtutem heroicam specie à morali distingui, quia finibus invicem discrepant, respondemus, verum id esse de ijs quæ finibus planè distincta sunt, non verò de ijs, quorum fines sunt distincti quidem, sed subordinati, cuiusmodi sunt virtus moralis & heroica. Ad alterum dicimus feritatem non dici quod solis attribuat feris, sed quod illos, qui ea sunt infecti, quàm proximè ad ferarum naturam accedere faciat, cum ijsq; coniungat. Ad tertium regerimus, probationem eius non universaliter veram esse. Mures namq; aquivoca producti generatione, ab ijs, qui univoca procreati sunt generatione, specie non differunt, uti nec Adamus specie à nobis distabat, licet ille non ab homine sicuti nos productus, sed immediate à Deo creatus erat. Verùm satis de hæc questione.

Questio II.

An omni competat ætati virtus heroica.

Vno tantum mundi, Saturni potissimum, seculo, quod auream propterea nominatum fuit, heroes viguisse, postmodum verò desisse, & ferreum seculum in ejus locum successisse arbitratus Hesiodus lib. 1. & in operibus & diebus, ubi inquit:

Nam

Nam cum Saturnus coelo regnabat, habentes
Vivebant homines nullas in pectore curas,
Ut Dij felices. Nec vires curva senectus
Inflexit: similesque pedes, similesque fuere
Usque manus illis, ibant convivium lata,
Ut somno domiti fati cessere benignis.
Hesiodum secutus Ovidius exclamans quasi inquit:
Quam bene Saturno vivebant rege, priusquam
Tellus in longas est patefacta vias.

¶ paulo post:

Non acies, non ira fuit, non bella, nec enses,
Immitti saevus presserat arte faber.

Colligat hinc aliquis pro Hesiodo heroicis animos una tantum mundi etate claruisse.

Nobis contra, qui haurit mancipium aliena libidinis, (Scal. Exc. 6. sect. 4.) Opinio Hesiodi non ad salivam. Qui sic? quia ratio sic. Nam 1. Virtus heroica ex peculiari afflatu & singulari Dei gratia exoritur. Nullo autem mundi seu tempore, seu seculo, ille gratia sua ab hominibus discessit, aut dona illis denegavit: sed adhuc, quemadmodum seculo, quod alij fingunt, aureo: ita clementia sua nobis quoque affulget. Duplices namque Deus omni etate edidit, & adhuc edit etiam extra Ecclesiam actiones, generales nempe seu universales, quae communi naturae continentur ordine: & speciales, quae aliquid habent singulare & eximium. Goel. Disp. Eth. Keck. Syst. Eth. l. d. Ergo & omni etate virtus heroica valet reperiri. Absque hac enim si esset mundus, omnis iam dudum in eo exularet religio, pudor, ius, fas, sanctitas, pietas, fides, omnia haec inquam, iam dudum expulsa & explosa forent. Sed, quid inde? Quis

Vbi non est pudor,

Nec cura juris: Sanctitas, pietas, fides

Instabile regnum est.

Seneca in Thyeste.

Regna omnia, Respublica, imperia, iam dudum prostrata iacerent. Sunt enim herbes horum stabilimenta, fundamenta, quibus illa innixa servantur & consistunt. Gregor. Richt. axiom. Polit. 44. p. 119. 2. Communis & approbata est Logicorum regula, in his mortalibus opposita esse natura fieri in eodem. Piccol. gr. 9. c. 3. ph. M. & Aristoteles: Manifestum est, inquit, ens natura ita comparatum esse, ut contraria sint circa idem subiectum. lib. Categ. c. 8. & 6. Top. c. 3. At feritas inter homines adhuc invenitur. Ergo

D 3

¶ virtus

Virtus heroica e, que feris et ceteris inter eos datur necessum est. 3. In omni
 animi alii irrationalium tam aerearum quam terrestrium & aquearum
 genere, in avibus, piscibus, leonibus, equis, canibus, immo & in inanimatarum ge-
 nere, datur eximium & excellens. Multo igitur magis in animalium ratio-
 naliu[m] genere sublime & excelsum dari necessum est. Neque enim putandum
 est hominem μικροκ σμωσ hoc in genere animalibus irrationalibus, aut alijs
 rebus, deteriorum esse. 4. Exemplo non uno aut altero, sed vel mille sen-
 tentiam nostram confirmare possemus; pauca vult institutum nostrum. Heros
 eximius & excellens fuit B. Lutherus noster verae religionis Christianae in Ger-
 mania instaurator. Heros praestantissimus fuit Fridericus cognomine Sapiens
 Elector Saxon. Academiae nostrae Witebergensis fundator. Heros
 denique fortissimus Johannes Fridericus Elect. Saxon. fundator Acade-
 miae Jenensis. Immo Heros insignis Ludovicus Hassiae Landgravius
 Giessae Catorum Academiae nuper erectae fundator. Atque his quidem ra-
 tionibus in fumum & cinerem ista Hesiodi concedit opinio.

Questio III.

An virtus heroica valeat reperiri etiam in
 foemina?

Cum superius dictum a nobis sit virtutem heroicam esse splendorem &
 eminentiam virtutis moralis, καὶ ἀνδρῶν τὸ θεῶν ἀνδρῶν εἶναι Arist. 7. Eth.
 c. 1. rarum sit etiam virum divinum esse, ideo dubitare iure quis posset, num fo-
 eminae quoque virtutis heroicae capaces esse possint? Sunt enim ille
 viris plerumque natura imbecilliores, &

Τρία μάλιστ' ἀνάγκη καὶ γυναικὶ κακὰ τρία

Tria sunt mala, a quor[um] ignis, atque foemina.

Dux malorum foemina, & scelerum artifex.

Senec. in Hyppolit.

Verum nec imbellia pro imbelli sexu tela. Esse enim mu-
 lieres heroicarum virtutum capaces probari potest. 1. A requisitis
 virtutis heroicae, quorum tria supra enarravimus, cuiusmodi sunt, 1. Impetus
 admirabilis & facultas res magnas efficiendi. 2. Summa constantia istius propo-
 siti. 3. Denique successus & felicitas. Vid. ib. 26. Quae omnia cum in foeminis etiam
 reperiri possint, non est quare ipsas heroica virtute privare queamus. 2. Pro-
 batur id ipsum porro hoc modo: Vbi cumque virtus moralis inveniri potest,
 ibi & heroica quandoque. At qui in quovis homine.

Si mo:

Si modo cultura patientem commodet aurem.

Horat. lib. 1. ep. ad Mecœnatem, nec in viris modo, verum etiam in
fœminis virtus moralis valet inveniri. Natura enim sæpe fœminam fe-
cit solertem, industria eruditam, educatio piam, experientia sapien-
tem. Ergo cum nulli sit præclusa ad virtutes via, sed omnes admittat, ipsas et-
iam mulieres; nec debent hæc à virtute heroica, quæ tantum complementum vir-
tutum moralium est, earumq; eminentia, excludi. Quod ipsum quoq; 3. ex con-
trario virtutis heroicæ patet. In quo enim feritas, in eo & virtus heroica
locum habere potest. Contraria siquidem, ut iam ante sæpius dictum, nata sunt
feri in eodem. Arist. 2. Top. 3. At in fœminis feritas reperiri nata est. Proinde
& virtus heroica. Testantur hoc quoque 4. Poetæ, qui fœminas quasdam
ob animositatem à Deo genus suum traxisse, sinxerunt. 5. Immo nec mulie-
rum heroica virtute præditarum exempla defunt. Nam revera, inquit
Lipsius pag. 88. Polit. Nonne eximia aliquot reginarum lecta nobis, audita,
visa, quæ fortes, cauta, castæ, virilibus curis fœminarum vitia exuerunt? Ex
multis sese nobis offert è sacris quidem Debora, quæ 40. annos magna cum lau-
de Dei populo præfuisse legitur Iudic. 4. v 4. Jaël, cuius animositas in occiden-
do rege Siffera patescit. Ibid. Ex prophetis laudatissimum est exemplum Semi-
ramidis, cuius & magnitudo animi, & fortitudo tanta fuit, ut mortuo rege
Nino marito, ipsa imperij claves arripuerit, Babyloniam multaq; urbes alias
condiderit India, quò præter illam & Alexandrum M. nemo intravit, bellum in-
tulerit, duos & quadraginta annos post Ninum regno potita. Iust. lib. 1. hist.
Theodorus lib. 2. c. 5. Exemplo quoq; est Orithya regina Amazonum, cui
præter singularem belli scientiam, eximia servata in omne ævum virginitatis ad-
miratio fuit. Iust. lib. 2. hist. Et consideratione dignum est nostra seculo regi-
næ Angliæ exemplum, quæ aliquot annorum decursu ad imperij gubernacula
magna cum fortitudine & animi magnitudine consedit, magnaq; cum prudentia
subditos suos cum maxima aliorum admiratione rexit.

Pro deciosine ergo notandum. 1. Quod virtus heroica in fœ-
minas rariùs, quàm in viros cadit, nam & virtus moralis rariùs in
eas cadit, & ut nuper dictum, viri sunt natura imbecilliores, & facile
locum relinquunt affectibus, & circa res domesticas & humiles, unde nemo
facile herois nomine insignitur, occupantur. 2. Quod virtus mulie-
rum cœfenda sit heroica facta inter virtutes mulierum comparatio-
ne, & non cum virtutibus virorum. Viri herois officium est inter viros, mu-
lieris inter mulieres excellere. Piccol. gr. 6. ph. M. c. 10. Calius Rhodigi-
nus l. 14. antiq. Lect. c. 1. Plutarchus de clar. mulieribus.

Quæstio

Questio IV.

Cur heroum exitus plerumque sint funesti?

Heroum exitus raro optatos & felices esse, non solum exempla quam plurima, sed & quotidiana testatur experientia. 1. Quis nescit Heroica, magnifica, & bellicosa facta Semiramidis quarti regis vicem in prima Monarchia suppletis, quas urbes condidit? quas gentes redegit in potestatem? quanta opera molita est? Curt. lib. 9. de Reb. Alex. Non contenta acquisitos viro regni terminos tueri, Ethiopiam quoque imperio adiecit. Immo mulier hac virtute sua egregia non modo feminas, sed & viros anteivit, inquit Justinus lib. 1. hist. Quod ipsum quoque Alexander M. heros praeclarissimus non obscure fassus est, quando neminem alium magis, quam Cyrum regem & Semiramidem admiratus esse dicitur Curt. lib. 7 quos & magnitudine animi & claritate rerum longe emicuisse credidit, ita ut femina quoque gloria equare sategerit. Curt. lib. 9. At quis tandem animosae hujus & illustrissimae feminae exitus? Tristis omnino & supra modum horrendus? Quippe non ab alienigena adversario, vel hoste: Sed a proprio interfecta est filio. 2. Quis ignorat Cyri secundae Monarchiae regis primi. (cuius iam modo facta est mentio) res praeclare & fortiter gestas? bella in Babylonia, cum Lydiis, cum Scythis feliciter suscepta? quem laet et ipse in populum Iudaicum, capta iam Babylone, clementia & beneficentia, in qua urbe Hierosolyma, & templo aedificando liberalitas & magnificentia. Nihilominus tamen caput ipsius amputatum in utrem humano sanguine repletum coniectum est. Iust. lib. 1. hist. 3. Quis Xerxis secundae Monarchiae regis quarti bella tam mari, quam terra gesta nescit? Quis de exercitu ipsius decies centenas hominum milibus constante, quo tota Graeciae terrae fuit, iam dudum non inviduit? Nihilominus tamen ab Artabano patris miserè interemptus est. Iust. lib. 3. 4. Cuiam de virtutibus Philippi Patris Alexandri Magni non constat? Quis potentiam, bella, victoriasque ipsius recensere valet? quippe qui primus omnium regum gentis Macedoniae regnum subacta tota Graecia ad summam potentiam evexit. Nihilominus tamen Pausaniae insidijs petitus tristi morte occubuit. Curt. lib. 1. 5. Et quis est eo naturae stupore, ut istius Alexandri Magni incredibiles & penè divinas virtutes non admiretur? Huius enim magni heroum quanta animi magnitudo, fortitudo, in victos clementia, in deditos fides? quae tam in suos, quam in alios Magnificentia, liberalitas? Haec tamen ab Antipatri fraudibus insidiisque, tutus esse potuit, sed veneno ab eo extinctus occubuit. Iust. lib. 12. 6. Quanta in Remp. Romanam Romuli primi Romanorum regis fuere merita? At tamen à civibus casus, inque minutissimas partes dissectus per-

vij. Halicarnass. lib. 2. Antiq. Rom. 7. Cæsar heros fortissimus
interficiebatur ab ijs ipsis, quos recenti beneficio sibi devinxerat, quibusq; igno-
verat, quod bello Pompeiano contra ipsum militassent. Sleidanus de 4. Mo-
narch. Ex quibus omnibus constare verumq; esse puto quod initio posuimus, He-
roum nempe exitus funestos esse. Verum causas hujus rei sufficientes
proferre, hoc opus, hic labor est. Nos ne tanquam κῶφα πρῶτα
hinc abeamus, duas potissimum hic post nos relinquemus. Unam
internam & in ipsis heroibus constantem; alteram externam, & in
alijs hominibus delitescentem. Ac internam quidem dicimus esse
vehementiam illam, quæ in ipsis heroibus deprehenditur, quam
non semper possunt moderari, versantur enim circa res arduas & diffici-
les, ut circa bella, religionis vel patriæ tutanda & defendenda gratia suscepta.
Difficile autem in his est semper medium tenere, regiamq; servare viam, vel ipsi
propter motus vehementes hostibus nimis maturè sese objiciunt,
vel in officio, illud jam exequi cupientes, constituti, callidè ab ho-
stibus, à quibus nihil magis, quàm mors truculenta expectanda, per
insidias circumveniuntur. Atq; hinc est quod maxima pars heroum ma-
xime præstantium in bellicis tumultibus vita privata legitur. Cuius rei tam
pleni sunt Historicorum libri, ut exemplis id ipsum plenius declarare religio nobis
sit. Exemplo possunt esse multi ex ijs, quos iam antè recensuimus. Deinde ipsam
humanæ naturæ conditionem, quæ sic comparata est, ut si res ad tempus
secundæ sint, perpetuam nobis felicitatem polliceamur, & cum fortuna ipsam et-
iam naturam dediscamus. Curt. lib. 3. de Reb. gest. Alex. immemores inte-
rim illius Parmenonis Terentiani, omnium rerum vicissitudinem ef-
se contestantis; hinc superbia, tumor, animiq; elatio. Immo si vel tantillum boni
quid effecimus, gloriari & in cælum usq; extolli avenus. Videre id ipsum est in
multis heroibus, qui vento nimium secundo non novere turgida con-
trahere vela, ut Horatius noster loquitur, hi post res vel domi vel in bello fe-
liciter gestas, iam extra humanam sortem se exivisse, vel humanam conditionem
quasi vicisse arbitantes, non homines modò præ se contemserunt, sed vel Deum
ipsum parvi fecerunt, dum non in hominum amplius, sed vel angelorum nume-
meruin adscribi, non homines, sed Dii audiri, non honorari, sed adorari, & divi-
nos honores exhiberi sibi voluerunt: Stimulum & calcar porrò addenti-
bus ipsis parasitistris & assentatoribus, qui optimates, ut miscæ cibos
optimos, sectari & corrumpere consueverunt. Hoc mirum erat: Quantò su-
periores sumus, tantò nos submissius geramus. Cic. 1. off. Iniuriosi igitur tam
in Deum quàm proximum facti multi, à Deo si non immediate, saltem mediate

E

puniti

puniti sunt. Atq; hinc est quod sacra littera inculcant: Potentes potenter se-
quentia patiuntur; & quod Claudianus habet:

—————Tolluntur in altum

Vt lapsu graviore ruant.

Item illud Claudij de sepulchris spec.

Magna repente ruunt: summa cadunt subito.

—————Nam nulla potentia longa est.

Ovid. lib. 2. Metam. Sedes enim ducum superbiorum destruit Deus, & sedere fa-
cit mites pro eis. Eccles. 10. Quod ipsum in Xerxe, Philippo & Alexandro
M. manifestum esse deprehenditur. Vide Axioma 84. Polit. Gregorij
Richteri p. 270. Atq; haec de interna causa. Externam causam dicimus
esse aliorum hominum invidiam & malitiam. Solet enim nobilitas ple-
bi suspecta esse. Halicar. lib. 7. Antiq. Rom. Virtutiq; invidia comitem sese
adiungere. Hinc Seneca in Thebaide:

Simul ista mundi conditor posuit Deus,

Odiunq; atque regnum.

Et in Hercule Furente:

Ars prima regni est, posse invidiam pati.

Vnde Chrysippus interrogatus aliquando, cur potestatem omnem in Republ.
adeo fugeret, respondisse fertur: Quia si quis male rexerit, Dijs poenas
dabit: sin bene, odio a civibus habetur. Stob. serm. 45. & recte Era-
sinus. Leo, inquit, cunctis formidatum animal tantum ac cristam galli formi-
dus: ita summi principes insinuarum convicia nonnunquam timere coguntur:
quod ipsum experientia quoq; plus quam satis testatur. Etenim testante Sleid-
diano lib. 2. de 4 Monarch. inde à Cesare, qui spectante senatu concidit, ad
Carolum usq; Magnum circiter 30. fuerunt ex Imperatoribus, inter quos & he-
roes fortissimi refulsere, interfecti, semper aliquid fuit, quod in ipsis desiderave-
runt milites: neq; bonos magis quam improbos ferre poterant, & ad minimam
occasionem concitata turba iugulabant eos, quos etiam invitos ad culmen illud
honoris pertraxerant, sicut Aelio pertinaci constat accidisse. Videatur Sleidan.
Keck. Syst. Eth. l. 3. c. 5. p. 358. Richtetus l. d.

Quaestio V.

Cur heroum filij noxae?

Constat ex superioribus quos heroum nomine comprehendamus, nempe nos
quos homines, qui à vulgo, vel ab ijs, qui à plebecula pendent iudicio, heroes habent.

dar, quibus nunc quidem temporis adulatoria quadam, & ridicula levitate herorum
promiscue illi sunt omnes, qui nobilioribus & familijs orti, aliquot villas à colonis
propè desertas, raras arces, & eas quidem semidirutas obtinent. Neq; tamen
herorum nomen ita coarctavimus, ut eo tantum viros plane Deos comprehenda-
mus, qui insigni prudentia res perplexas, dubias, difficiles, arduasq; ita gerunt, ut
propius ad Deorum naturam descendere, quam ad humanam infirmitatem se
demittere videantur. Verum præter hos ipsos etiam eos heroico nomine dignos
censemus, qui eximia virtute & sapientia præditi, & secundum fortune usi flati-
bus res sanè magnas suscipiunt, sed tamen non nisi quæ humana perferunt, & ad
exitum, ita quidem, ut falli, labi, errare, hallucinari, debilitari, frangi quandoq;
queant, perducunt. De horum liberis quæritur, cur sæpissime à paren-
tum virtutibus degenerent? Ac initio quidem vetum esse id, quod
trito circumfertur proverbio, & ἡρώων ἡρώων τέκνα ψίμαλα, Herorum
filios noxæ esse, non solum ipsa testatur rerum omnium magistra
experientia, sed & exempla tam sacra quam Profana, & proli do-
lor cotidiana. Primus nostrum omnium parens Adam Cainum par-
ricidiam, Noha Chamum inverecundum, Isaac Esauum parentum carnifi-
sem, fratrisq; optimi hostem genuit. Jacob tot ferè plagiarios, incestos, homi-
cidas, quot filios, duobus saltem exceptis, habuit. Moses quoq; liberos inertes,
ignobiles, obscuros profeminasse scribitur. Samuel, ut ad creandum Israëlitis
regem animum appelleret, filiorum iniurijs & avaritia coactus fuit. Notus est
omnibus optimi patris Davidis degener filius Absolon: noti alij sacris litteris
comprehensi optimorum parentum pessimi filij. Profana si cupis exempla, em
ex mille pauca. Quis unquam Cambyse immanior, crudelior & impius ma-
gi, cuius tamen parens Cyrus nulli propè regum, quos sol hic vidit, vel pietate,
vel clementia, vel animi magnitudine, vel rerum gestarum gloria, vel potentia
secundus fuit. Pericles, Paralum & Xantippum stupidos fatuosq;: The-
mistocles Clophantum denegerem & improbum: Aristides Lysima-
chum inertem & obscurum reliquit. Augustus Imperator maximus boniq;
patris exemplar Julias habuit, & filiam & neptem proiectissima impudicitia,
& procacissima libidinis mulierculas omnibusq; probri contaminatas. Drusi
privigni Augusti pacis & belli artibus insignis filius erat Claudius Imperator
hebes & stolidus, iners & ignavus, invisus subditis, odiosus exteris, despe-
ctus universis: Germanicus Imperator bellicosissimus filium habuit Cali-
gulam, nepotem ex filia Neronem: At Deus bone! quam illos non homi-
nes, sed mera hominum monstra, prodigia, portenta! Prætereo iam Severi Im-
pera-

peratoris familiam, qui cum ob bene gesta, & servatam Remp. dignus immor-
 talitate iudicaretur, filium habuit Antonium homicidam Papiniani, fratris
 parricidam, noverca maritum, incestu cum Oedipo, sevitia cum Thyeste, inter-
 tu cum utroq; comparandum. Multa alia brevitati studens pratero. Tragœ-
 dia verò hujus, cuius tã funesta est, & luctuosa catastrophe, nũquid,
 & quanam dari, & in medium adduci causæ possint jure quæritur.
 Nec immeritò: Nam & cur ex equi cadavere crabrones, ex asino scarabei, ex ho-
 mine vermes & serpentes nascantur, curiosè quærimus & perquirimus. Nos
 duplices hujus rei causas dari posse autumamus, quarum alio divi-
 nã, alia morales. Ac divinã quidem duæ sunt, una universalis
 specialis posterior. Universalis Dei providentia est, cuius nutu
 omnia, quæ hoc universo continentur, reguntur. Specialis ejusdem justitia
 constitui potest, quæ ab hominibus rectè facta præmijs ornat, secus acta
 pœnis gravissimè vindicat. Has causas succinctè brevitate jam primò
 persequemur, morales postea. Primum itaq; si nodum huius quæstionis
 verè Gordium & vindice dignissimum vel solvere, & extricare, vel incidere &
 secare velis, audias Mariam virginem, qui spiritus S. instinctu hunc in modum
 cecinit: Deponit potentes de sede, & exaltavit humiles. Luc. i. v. 53.
 Audies Chilonem virum inter septem Græciæ sapientes primarium, qui scis-
 sit anti quidnam rerum ageret Deus, humilia inquit tollit, ex excelsa de-
 primit. Demolthenem audies; qui alicubi veluti numine quodam affla-
 tus in hæc verba prorumpit: Ἰὼ & γὰρ Δῶρ & ὕδρῳ ὠκεῖς ἐιμαρμένῃσι
 & ἄλλοις ἀπελάττει τὸν ἕρποντα: Magnorum virorum liberos improbos evadere,
 perinde quasi fato quodam id accideret. Atq; hanc varietatem rerum omnium
 gubernator Deus immittit: Is siquidem in hoc amplissimo mundi theatro perpe-
 tuum, stabile, & immutabile nihil voluit esse præter seipsum. Ideoq; semper lu-
 dos dare solet eiusmodi, ut quæ vix edita sunt, ea subito aboriantur & intereant:
 quæ iam surrexerunt, corruant: quæ nuper constitere, iaceant: quæ paululum flo-
 ruere, marcescant & tabescant, idq; in omnibus omnino rebus, quæ hoc universo
 continentur fieri videmus, id quod vel mille iterum demonstrare exemplis posse-
 mus, ut cæli, stellarum, terræ, regionum, Rerumpub. Imperiorum mutationibus,
 et ita

Ludit in humanis divina scientia rebus.

Neq; tamen iniuriæ aut culpæ ullius à quoquam, in quo vel mica pietatis
 sit reliqua, insinulari potest. Omnia enim ille regit optimè, quia prudentissi-
 mus omnium, immò prudentia ipsa. Dispensat omnia iustissimè, quia iustitia
 ipsa. Alteram causam DEVS ipse nobis suggerit & ingerit,
 cum

eum se parentum iniquitatem in liberorum tertiam & quartam
 usq; generationem visitare, & vindicare pronunciat, id quod Theo-
 critus etiam designavit: *ἔνθε βίων παίδεσσι τὰ λώια δούσε βίων δ' οὐ.* Pi-
 orum liberis optima quæq; contingunt, impiorum posteris non eveniunt. Ean-
 dem Plutarchus in libello de vera numinis vindicta plurimorum hi-
 storia comprobat, ita ut dubium non sit, quin Dei ira, ultio, vindicta, qua sco-
 lera parentum in liberis prosequitur, herorum filios ad paterna felicitatis cla-
 yum sedentes, in sentinam omnium miseriarum dejiciat. Non enim ille agit
 otium, iners & ignavum, aut suis gaudet voluptatibus, quod Epicurei scelera-
 re fingebant: sed contemplatur terras & maria, interna & externa rimatur,
 corpus videt & mentem, ligulas & fibras, operta & aperta, nec ullum sine præ-
 mijs virtutem abire, aut ulla sine pœnis flagitia evadere patitur, quamvis sub
 tunica commissa sint, sub sinu perpetrata. Iam verò nullum hominum genus est,
 cui & plures & commodiores & violentiores ad peccandum occasiones se, quam
 magni viri, offerant. In secundis quidem plerumq; modum tenere non possunt,
 sua industria accepta ferunt omnia, nullum Deo felicitatis hostimentum reddunt,
 odijis fræna laxant, clamores misera plebecula non exaudiunt, pauperes expi-
 lant, opes alienas varijs aucupijs capiunt, varijs ad se raptant artibus: quin &
 gravissimis sepe flagitijs ne sentientes quidem aut animadvertentes se impli-
 cant, & involvunt. Quando autem Deus pœnas non minus à rege & prin-
 cipe, quam à bubulo & cerdone, id est, non minus à divite, quam à paupere
 expetat, mirum non est, tantos etiam viros maximis calamitatibus exerceri,
 affligi, cooperiri. Ideò vel ipsi pœnas suorum delictorum viventes luunt, vel mor-
 tui posthumos ad infelicem posteritatem transmittunt. Hinc *ἀνδρῶν ἡρώων τὴν
 νόσον πύλασται.* Quin & nos ipsi peccavimus: & cotidie peccamus, in labe nati
 sumus, & in labe vivimus: & iam diu cæli armentaria sine telo fuissent, si in o-
 mnes, qui merentur, fulmina missa fuissent. Pœnas itaq; persolvunt multi pro-
 pter suam ipsorummet culpam. Atq; hæc divinæ esse causæ possunt. Mo-
 rales nunc quoq; perpendendæ veniunt. 1. In his autem locum sibi
 primum jure vindicat educationis ratio præpostera, de qua libet usur-
 pare comicum illud: Vt quisq; filium suum vult esse ita est. 2. Item alio-
 rum illud:

Blanda patrum segnes facit indulgentia natos.

3. Adde si placet tertium: Qui non vetat peccare, cum possit, jubet.
 Heroes enim quorum natura generosiores, admodum φιλόσοφοι sunt, & φι-
 λότεργοι, suosq; tenerrimo amplectuntur amore, ideòq; parvulus saepe dant,
 largiuntur, permittunt omnia, non sine maxima eorum corruptione. Plorant
 liberi,

liberi, vix à lacrymis sibi temperant parentes: Irascuntur, eos anxie placent.
 Aliquid poscunt, ecce parata omnia: quidlibet facere & pati malunt, quam te-
 mellos offendere. Quod si ad etatem perveniant, ex Therfitè Vlyssèm: ex Dolone,
 Diomedem: ex Paride Achillem quempiam efficiunt. Scilicet turpissima quæ-
 amori pulcra videntur, & simia quoq; nimis complexibus catulos enecare so-
 lent. Quod si qui ex parentum numero verum educandi modum sciant, ad eundem-
 que liberos educare exoptent, quò minus educationi liberorum vacare possint, pu-
 blicis occupationibus ita distinentur, ut ne quidem ad scalpendas aures quid-
 quam otij suppetat. Immo sæpius etiam ij, qui liberis, ut ad virtutum arcem eos
 provehant, proficiuntur, ipsi eorum sæpius corruptores potius, quam vitiorum
 correctores existunt. Quidam hinc ἐνδύων ἡρώων τέκνα πᾶματα. Sed de
 assentatorem, ut comicus inquit, apud Magnates primas tenere, secun-
 das sycophantam, tertias malitiosum, quis est qui nesciat? Heroum ve-
 rò filios non ullare alia, quam cum hisce conversando corrumpi, qui non videt
 ἡδυσσοῦν ἕδν: χρῆδῃ, ἁμιλία κακῆι vt Paulus 1. Cor. 15. v. 33. ex Menæ-
 dro loquitur. Corrupti bonos mores conversationes prava: Et κακῶι ὁμιλῶν
 ἢ αὐτὸς ἐκ. ἑῶν κακός; Malus ipse fiet si cum malo vitam egerit: & ἄν. ἡ-
 λῶ παρὸι καὶ ἢ ὑπὸ καὶ ἑν καὶ ἡσῃ: Juxta claudum habitans, subclaudica-
 re disces. Sed ut paucis questionem hanc concludamus, & tertiam adhuc causam
 breviter subijcimus. Secundas enim fortunas, inquit Plautus, decent su-
 perbia, sed quid Seneca?

Dominare tumidus, spiritus altos gere:

Sequitur superbos victor à tergo Deus,

Senec. in Herc. Furent. Et Plaut. Capt.

Fortuna humana (inquit) fingit, arctatq; ut lubet:

Me qui liber fueram, servum fecit, è summo infimum:

Qui imperare insueveram. nunc alterius imperio ob-
sequor.

Omnes enim, qui in hanc vitæ humana scenam varijs induti personis ingredi-
 mur, res adversas tolerare non volumus, & tamen secundas moderate ferre
 non possumus. Simul ac fortuna blandiri nobis, & arridere caperit, & ad hono-
 res, ad potentiam, ad divitias nos provexerit; intumescere, cristas erigere, su-
 percilia tollere, ferocire, luxuriare, calcitrare, Deos & homines pensis non ha-
 bere incipimus. Vbi enim uber ibi tuber, & præclare Xenophon, Difficilius
 inquit, inveniri, qui secundam fortunam bene ferat, quam qui ad-
 versam: quod hæc continentiam & moderationem in omnibus efficiat, illa in
 plerisq; vim & iniuriam provocet. Nulla enim virtutum capitalior pestis
 offe

esse potest, quam beatâ illa & effluens ad cupiditates explendas rerum copia
quam cum honestate coniugare, non minus difficile est, quam qua maximè inter
se contraria sunt. Bodin. lib. 1 de Rep. c. 1. homines namq; cum se permisso
re fortuna, etiam ipsam naturam solent dediscere, inquit Curtius de Rebe
gest. Alex. lib. 3. Quoniam verò Deus omnem superbiam aversatur, abhor
ret, execratur, idè etiam eiusmodi homines ut insanabiles deserit, ut nocentes
perdit, ut sceleratos & perditos ex omni memoria tollit. Atq; hæc sunt causæ
morales. Videat, qui volet, quæstionem hanc plenius discussam &
pertractatam apud Gregorium Richterum in Aximomatibus œco
nomicis Axiomate 15. pag. 75. Vide etiam elegantissimam oratio
nem, quam vir clarissimus Dn. M. Wolff. Heiderus hac de re lo
quax habuit.

Quæstio VI.

Num feritas deterior sit vitio?

Nodum in scirpo hic forsitan quærare videmur: siquidem constat feritatem
opponi virtuti heroicæ, quæ cum sit præstantius, quiddam virtute morali, cui op
ponitur vitium, & *ἀνὰ γὰρ* sequi videtur, feritatem quoq; vitio detiorem ef
se. Ratio est: Quia omne oppositum præstantiori deterior est. Atquò
feritas est quadam exsuperantia antecellens & modum superans. Illos enim, quò
vitio ceterum antecellunt, nomine ferarum nominamus: eos verò, qui communi
præditi sunt vitio, tantum vitiosos Arist. 7. Eth. c. 1. Verùm feritatem
minus malum esse morum malitiâ & improbitate confirmat Ari
stoteles l. d. c. 6. hisce rationibus: 1. Quicumq; peccat *ἐκ ἀγνοίας* adhi
bitâ ratione & datâ operâ, ille minus est culpabilis, quam qui consultò & datâ
operâ peccatum aliquod perpetrat. Aliqui feroces seu furiosi non peccant datâ
operâ & adhibitâ deliberatione, quemadmodum improbi & malitiosi. Ergo mi
nus etiam sunt culpandâ. Et per consequens feritas minus malum est, quam im
probitas seu malitia morum. 2. Feroces seu furiosi, quia ratione, & mentis usu
distituti sunt, non possunt modos & rationes, quibus alijs velint nocere, excogi
tare, sed tantum cæco quodam impetu in alios feruntur, ex quo sæpe numero
magis sibiipsis exitium, quam alijs creant, non aliter ac ferox equus sessorum
excussurus, per saxa & montes ruens, sibi ipsi potius, quam sessori pernicium in
teritumq; adfert. Improbi verò malitiosiq; quia ratione adhuc, licet prava &
corrupta sunt præditi, idè possunt varios & intelligere & excogitare modos in
fidendi & nocendi alijs. Ex quo conficitur morum malitiâ & improbitatem
feritate longè esse detiorem.

Pro hoc dubio determinando distinguendum est inter feritatis species supra thesi 42. & allaras. Alia enim feritas rationem excludit vel omnem magnitudine morbi oritur, cuiusmodi est phreneticorum, & mania laborantium; Vel saltem magna ex parte, qualis est feritas ex naturali quadam, sive à prima nativitate orta assuetudine. Alia feritas rationem non excludit quidem, sed maxime cum ea, at non recta sed perversa & improba coniuncta est. Et hæc posterior feritas vitio est deterior, quod rectè prior probat sententia, directè namque ipsi virtuti heroicae opponitur; reliquæ species non item, quod rectissime itidem posterior probat sententia. Vtraque igitur opinio κατὰ τὴν verà est. Ceterum si prior opinio argumentum illud obiectum ad alias etiam feritatis species, quam ad illam, que directè ipsi virtuti heroicae opponitur, extendere velit; tum respondemus oppositum duplex esse, aliud sumtum pro privatione, aliud pro natura contraria maxime distante: Feritas excludens usum rationis opponitur per privationem ipsi virtuti heroicae, feritas ex magnitudine vitiosi habitus orta, ut verè contrarium. Non de opposito per privationem & negationem, sed de propriè contrario regula illa est intelligenda. Ad confirmationem, qua dicebatur feritatem quandam exsuperantiam antecellentem & modum superantem esse, rehero: Exsuperantiam esse ve ex conditione nature, & ita feritas non est deterior vitio morali; vel ex depravatione rectæ rationis, quam vitio morali deteriorem esse, utraque manu largimur.

Quæstio VII.

Vnde ortum ducat Nobilitas?

Solent in Rebuspubl. quæ omnia εὐχρηστός ἢ κατὰ τάξιν, decenter & secundum ordinem, iuxta Apostolum Paulum 1. Cor. 14. v. 40. fiant, nec ullus confusione aut inordinationi relinquatur locus, persona certis quibusdam officijs muneribusq; & iuxta hæc ipsa gradibus quibusdam inter se distingui, ita ut alie sint imperantes, obtemperantes alie; alie nobiles, alie patritij; equites alie, alie plebei. Nec immerito. Nam οὐδὲν οὐτως οὐδὲ εὐχρηστον οὐδὲ καλὸν εὐδαιμόνιος ἐν βίῳ ὡς ἡ τάξις. Xenophon. &

Ordine pervenies quo non licet ire labore.

Si enim in rebus omnibus ordinem convenientem inquirimus & consecramur, confusione verò ac perturbatione nihil aspectu sedius ac deformius esse iudicamus: quanto magis in Rebuspubl. enitendum est, cives apta ac decenti collocatione sic construere, ut primi postremis, medij utrisq; omnes omnibus nexu quodam ac viaculo inter se, & cum Rebuspubl. jungantur.

Quia

Quia verò non postremum, immò principem in omni ferè Republ. locum obine-
re solent personæ nobiles, idè non immerito, Undenam ipsa nobilitas o-
ginem suam trahat, queritur? Vò autem questionis huius verus & genui-
nus sensus percipiatur, sciendum est, nos hoc loco non inquirere velle, quidnam
sit ille, qui primò nobilitatem adeptus est; Nec etiam, quanam virtuti spe-
cie ad nobilitatem homines in qualibet Republ. perveniant, indagare:
Ex alia enim virtute in hac, ex alia in illa Rep. nobilitatem homines metiri
solent. Sed quidnam in genere sit, illud, ex quo vera nobilitas oritur,
& quanam sit vera viri nobilis forma, quæ stante ipsa quoq; nobi-
litas consistit, quæq; sublata corrumpit, hoc loco quaeremus. Inani o-
pinione ac popularibus hominum erroribus invaluit, ut nobiles
plerumq; habeantur ij, qui omnibus bonis; copijsq; præditi in o-
mni rerum abundantia vivunt, qui divites

Agris, positisq; in fœnore numinis.

Opinio hæc probari posse videtur i. à facto Romanorum: Romæ enim
Senatum ingredi, deq; rebus ad Rempubl. spectantibus una consultare divitibus
tantummodo, & omni rerum copia abundè affluentibus licebat; nulli verò infir-
ma fortuna homini, & qui forsè animam debebat, honor ille concedebatur.

Ipsè licet venias Musis comitatus Homere,
Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

— — — Plurimus auro

Venit honos, auro conciliatur amor,

Ovid. 2. de Art. Am.

In Pretio pretium uune est dat census honores,
Census amicitas, pauper ubiq; jacet.

Ovid. 1. Fast. 2. Probari id ipsum potest testimonijs virorum præ-
stantissimorum, in divitijs nobilitatem constituentium: Simoni-
des enim, quis esset nobilis, interrogatus, Eum respondit esse nobilem
qui ex his, qui jã antè multa divites fuissent, natus esset. A qua senten-
tia nec ipse Hieronymus alienus esse videtur: Nobilitas enim, inquit, ni-
hil est aliud, quàm inveteratæ divitiæ. Ex quo conficitur nobilitatem ex
divitijs ortum ducere, inq; ipsis fundari. Et videmus virtuosos, si trium tantùm
dierum comœdium habeant, omnesq; forte facultates iuduri sint, imperitiis
pecunia viri postponi, adeò quidem, ut, si ex parentibus nobilibus orti, virtuosos
tamen, divitijs destituantur, alijs ex ignobilibus orti, modo divitiæ ipsis sint,
habeantur inferiores. Iure igitur inquis ex divitijs vera nobilitas aestimatur.

F

Sunt

Sunt contra alij qui nobilitatem non in divitijs, sed in generis splendore volunt fundatam, propterea quod ingenium & virtus parentum, teste experientia, in sobolem quodammodo propagetur. Nam

Fortes creantur fortibus & bonis,

Est in juvenis, est in equis patrum virtus,

Nec imbellem progenerant aquilæ columbam.

Horatius, lib. 4. Carm. Ode 4. *Proprietates enim & nota & matris maiorum nescio quo pacto ad posteros transferantur: que quamvis in proximi filijs, aut nepotibus sæpe non eminent aut apparent; vi tamen quadam retinentur & in alijs posteris reviviscunt, ita ut in illis spiritus maiorum atq; impetus ad virtutem renoventur. Scilicet*

Transit & in natos vis & natura parentum:

Et retinet generis femina quisq; sui.

Verum nec in divitijs, nec in generis tantum splendore, sed in virtute nobilitatem fundatam esse, hisce stabilimus rationibus. 1. A notatione: Nobilis enim dicitur quasi noscibilis, qui appareat & cognoscatur. Tholoz. pag. 149. *Quicquid igitur honestè reddit notum & inclarascere facit, illud nobilitat. Quod cum non sit aliud, quam virtus, solam quoq; virtutem nobilitate existimandum est.* 2. A definitione: Nobilitas est præ eminentia rei optima. Ergo fundatur super virtute. Nam sola virtus est res optima & præstantissima & perfectissima, quippe se ipsa contenta. 3. Ac veræ nobilitatis decus in virtute positum esse non modo Philosophorum, Poetarum ac Historicorum; verum etiam Theologorum ac Ictorum penè omnium consentiens est opinio, qui negant ullum sine honestate nobilitatis locum relinquere ac deobis propositis generis inquam splendore ac virtute, superiorem ac dignitate priorem virtuti locum esse oportere decreverunt. Nobilitas enim vel cognatorum bonitas non valet, nisi fuerimus nos ipsi boni, ait Chrysost. Homil. 5. in Matth. *Vnde sicut Euripides: ὁ μὲν γὰρ ἰοδλὸς ἐν γενεῖ, ἐμοὶ γὰρ ἀνὴρ, ὁ δὲ σου δίκαιος, πᾶν ἀμείνονος πατρὸς ζῆνός περὶ φρενός, συγγενὸς ἐνὲν δεξέ.* Nobilitas, inquit Plinius, non imaginibus & statutis, sed virtute & meritis propagatur.

Nam quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis

Atria, quid pleni numero confulc fasti,

Pro fuerint? si vita labat: perit omnis in illo

Gentis honos, cujus laus est in origine sola.

Ovid. ad Pisonem. *In quam sententiam scite Iuvenalis Satyr. 3.*

Quis enim generosum dixerit hunc, qui

Indignus

Indignus genere, & præclaro nomine tantum
Insignis?

Nam genus & proavos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra puto.

Ovid. ad Pisonem.

Et qui genus jactat suum,
Aliena laudat.

Senec. in Herc. Furente. Nam ut fugitivis ab altaribus ac templis revul-
sis, nihil superest præter mortuorum sepulchra: sic qui vera suaq; gloria destitu-
ti, maiorum imaginibus efferunt sese. Plutarchus. Ergo pulchrius multo parari,
quàm creari nobilem. Auson. in sentent. Solon. Et ipse

Malo pater tibi sit Therfites, dummodo tu sis
Æacidæ similis, Volcaniaq; arma capessas,
Quam te Therfitæ similem producat Achilles.

Juvenal. Satyr. 8. Siquidem nobilitatem peperisse, quàm acceptam corrū-
pisse melius est. Cic. in. Rull. Orat. 1. Rectè ergo Theocritus, audiens quen-
dam ob parentum nobilitatem plurimum laudari à quodam: heus, ait, vir
bone, Generosos arbitretis esse, non eos qui ex honorum & illustrium
stirpe prognati sunt, sed qui honestatem omnibus rebus præposuerunt. Stobæ-
us. Atq; hinc constare censemus, humanam nobilitatem in nulla re alia, quàm in
ipsa virtute positam esse. Halicarnass. lib. 3. Antiq. Rom. Ex quo efficitur
opes & copias quantacunq; etiam illa sint, nec veram parere, ac ne parturire
quidem nobilitatem. Bodin. lib. 3. de Rep. c. 8. Virtuti enim & honestati
nihil cum fortuna commune, nec veræ virtutis ac nobilitatis possessio furtis eri-
pi, nec incendio absumi, nec aquarum voragine obsorberi, nec ulla vi perire po-
test. Et qui absurdus, aut perniciosus quàm dignitatem questu, ordinem pe-
cunijs, nobilitatem opibus metiri? Cum sæpius aut furtis ac rapinis, aut tyran-
norum effusa in deterrimum quemq; largitione, aut casu quodam, ac fortuna
temeritate, unde fortunas dici putant, dentur & eripiantur.

Pro quæstionis decisione 1. Distinguendum esse censemus
inter essentiam nobilitatis & ejusdem ornamentum. Divitias
ornamentum quidem nobilitatis esse ultro largimur: bonum
enim omne bono additum facit illud nobilius. Verùm divitias
nobilitatem conferre, & essentiam nobilitatis constituere pernega-
mus. 2. Distingimus inter nobilitatem popularem, que ge-
neris & divitiarum splendore consistit; & nobilitatem propriè ita
dictam, que virtute cum parentum, tum propria fulcitur. Aliter
etiam

quibus in sapientum hominum confesso, aliter in fece plebis de ordinibus ac dignitate disputatur, Bodin. l. d.

Ad argumenta igitur prioris opinionis respondemus distinguendo inter jus & factum: Agunt enim illa de facto, & non de iure; De hoc & non de illo quaestio proposita est intelligenda. Non autem quid fiat, sed quid fieri oporteat inspiciendum est. Similiter quo ad argumenta posterioris opinionis respondemus: Sape quidem natos degenerare à virtute maiorum suorum, & propter pessimam vitam sibi ipsis generique, dedecori potius quam honori esse. Vnde Proverbiū ἄνδρῶν ἠρώων τελευτᾶ πῦμαται, de quo paulo ante addimus tamen & hoc: Quemadmodum ex illis, qui virtute sunt pares praefertur ille, qui ex honestiori ortus est familia: ita merito nobis cum generis splendore, tum propria virtute praeditus praefertur illi, qui ob virtutem propriam primū nobilis declaratus fuit. Confer Petrum Martyrem Classe 4. Loc. Com. c. 19. p. 957. Danzum l. 2. Polit. Christ. c. 6.

Quaestio VIII.

Num virtutum Imperfectarum plures dentur species quam duae.

Ὁρθῶς ἀποφθῖν ὡς ἀρχὴ τῆς σοφίας: Rectè dubitare initium sapientiae est. Arist. 3. Metaph. c. 1. At non hoc, An dentur virtutes imperfectae continentiae & Tolerantiae. Qui enim de hoc vel dubitare, vel id oppugnare attentaverunt, perinde se habebunt ac illi, qui, neglecto sensu, rationibus nituntur ostendere, non dari motum, è quorum numero Zeno fuit, cuius rationes rectè refutavit Diogenes dum surgebat & ambulabat. Experimur namque quod vir incontinens dum labitur in voluptates & vir mollis, qui non tolerat dolores interrogati an rectè agunt, ipsimet fatentur se vitium sequi, se deserere id quod melius, non autem asserunt se voluptatem pluri existimare, solum aiant se impotentes esse, & non posse vehementibus perturbationibus obsistere, & unusquisque in semetipso idipsum experitur. Experientia verò in attinentibus ad mores est ratio efficacissima. Piccol. gr. 3. c. 13. ph. Mor. Immo omnes uno ore affirmant inveniri eos, qui vident meliora probantque, deteriora sequuntur. Praeterea, & qui perturbatione ducti scelus patrant, frequenter filios & amicos rogant ac deprecantur, & nedum deprecantur, vocant etiam imperant illis, in quibus imperantibus obtinent.

*de idiosum agant. Et dum homines ita errorem suum cognoscunt, nituntur
 clam errare, ne sui exemplo filios pervertere videantur. Et quid clarius quam
 delecta virtute per rationem approbata, voluptatem sequimur, verecunda-
 mur, ac insuper internam percipimus pugnam, internam reprehensionem, inter-
 numq; rationis sermonem, dicentis: Quò tendis miser? quò infamè progredere?
 Cur tam perdidisti tui? cur ita insanis? Quæ interna compunctio non permittit,
 ut toto animo voluptate fruamur. Sed hæc manifesta sunt. Aliud proinde qua-
 ritur, & quidem, Num virtutum imperfectarum plures dentur spe-
 cies quàm duæ? Affirmativa hisce stabiliri posse videtur fulcris. 1.
 Virtus imperfecta est habitus electivus appetitum indomitum & reluctan-
 tem ratione subjiciens. Donald. lib. 3 Eth. c. 12. At hoc ipsum in singulis rebus hu-
 manis multifariam distinctis accidit. Ergo plures quoq; dentur necessum est vir-
 tutum imperfectarum species. 2. Virtus imperfecta habet sese tanquam dispo-
 sitio, via, & medium ad virtutem. Ergo quot virtutum perfectarum, tot
 quoq; imperfectarum species recensenda sunt. Virtutes autem perfectæ cum sint
 multiplices, multiplices quoq; virtutum imperfectarum species oriuntur. Prin-
 cipia enim, media, & via, a suo fine & termino numerantur, naturam & conditio-
 nem recipiunt. Piccol. gr. 3. ph. M. c. 14.*

*Est facilius nos hinc expediamus, donando jam faciles cri-
 mus. Dabimus enim tibi tot virtutum imperfectarum species,
 quot sunt perfectarum; at hæc tamen cum conditione, ut tu nomi-
 na eis convenientia imponas, interim nos duobus hisce virtutum
 imperfectarum proprijs nominibus pro communibus utemur. Di-
 cimus autem has duas virtutum imperfectarum species summa
 quasi capita esse, propterea, quia nõ circa particulare quoddam, sed
 circa commune objectum versantur. Nam quæcunque ad cupiendū
 appetitum spectant, ea continentia gubernat, ea verò quæ ad ira-
 scendi pertinent appetitum, diriguntur à Tolerantia. Et sic brevitas
 hanc quoq; questionem expedivimus, properamus ad portum.*

Quæstio IX.

*An omnes, qui tantum volunt, possint donum
 continentia habere?*

*Non abstinemus etiam cum Pontificibus Sancti illi, (si Deus placet,) ho-
 minibus, & conivatis horum socijs Jesuitis, Suisis puto, ac si dicas,*

Episcopi de grege porcis,

F 8

Iam

Deo de Continentia sermonem serere. Ignoscant, quæsumus, incontinentia nostræ! Tantum enim abest, ut in hoc domare appetitum ratio potuerit, ut ille quasi frenis rationis laxatus, cominus cum illis congregari gestiat. Causa pugne nonnulla est: Affirmant enim illi doni continentia quemcunque, qui modò velit, participem fieri posse, nec solum id affirmant, sed & telis & hastis tueri satagunt. Ajunt enim 1. Quicumq; recta utitur ratione, ille quacunque etiam superare valet perturbationes. Atqui homo ratione nedum est praeditus, verum etiam uti ea valet. Ergo perturbationes, quacunque tandem illæ sint, domare omnes quoq; poterit. Atq; sic etiam uisionem. 2. Et quis est, qui de hoc dubitare ausit, cum certi simus omnia nobis dari à patre cœlesti, quacunque modo in vera fide assiduis precibus ab ipso exposcimus? Ita enim ipse Christus, fons veritatis, in cuius ore non inventum est mendacium. Iohan. 16. v. 23. Quicquid petieritis à patre in nomine meo dabit vobis. Quod si petiti dabit omnia pater cœlestis, quid nî, inquit illi, & donum continentia? Sub universalis enim concluditur particulare, quod manifestum est. 3. Quin & remedia, quibus incontinentia obviam iri potest, sat multa in promptu sunt: cuiusmodi sunt orare, laborare, occasiones peccandi vitare, ieiunare, corpus castigare, 1. Cor. 9. Nullo igitur modo uisionem sentientes ad coniugium animum applicent, eo ipso enim impudicitia ianua aperitur, ac animis libidinis faces admistrantur; Censura Colon. p. 76. Coster. in Enchirid. Controv. p. 527. Bellarm. l. 2. de Monachis c. 31. & seq. Abstineri igitur à coniugio poteris, si non per naturam, saltem per Dei gratiam. Quacunque enim naturæ sunt impossibilia, per Dei gratiam possible sunt & facilia. Phil. 4. v. 13.

Nos verò hisce freti armis stabimus pro quæstionis negativa. 1. Donum continentia extraordinarium & peculiare Dei donum est, quibusdam tantum hominibus speciali & singulari gratia à Deo singulariter concessum. Ergo quicumq; sibi illud comparare laborabunt, laborem sese sevisse, Deumq; in pugnas potius quam preces vocasse, in sine experientur. 2. Probat assertionem nostram manifestè satis notoria sacrificulorum, monachorum, & monialium detestandaque scortatio, qui omnes, quamvis nocte dieq; (ex eorum opinione loquimur) pro continentia dono adipiscendo Deum sollicitent, nihil tamen hoc ipso se continentiores evasisse experientur. Nam ut plurimi Monachorum uxores & pudicas nuptias aburrarunt: non tamen ab alienis abstinent manus, nec scortorum horrent amplexus. Nonnulli eorum scotos masculorum sectantur amores, infandasq; libidines, vulgoq; minus putant esse peccatum, si Monachus scortum, quam si pudicam uxorem ducat. Ad summam

Malus

— Mallunt Venerem temerare pudendam,
Quam bene compositum sollicitare torum.

3. Stat à nostris partibus ipse etiam Christus, qui Matth. 19. v. 11. affirmat, Non omnes capaces esse dicti, illius nimirum de coniugio, de quo paulò ante sermonem cum discipulis instituerat. Qui igitur verbum capiunt, frustra obturant aures, ne capiant. Unusquisque inquit Apostolus Paulus proprium donum habet ex Deo, alius sic, alius verò sic. 1. Cor. 7. v. 7. Sufficiant pro nostra assertione hæc pauca; plura enim in re satis manifesta proferre supervacaneum esse censemus.

Cæterum ut ad argumenta contraria expeditior sit responsio, nonnulla hic præaccipienda sunt. 1. Duplicia esse dona, quædam communia & ordinaria, quæ omnibus omnino credentibus sunt necessaria; quædam singularia seu extraordinaria, quæ non omnibus sunt necessaria, sed aliquibus tantum singulari Dei gratiâ & favore conceduntur, cuiusmodi sunt, quæ recensentur 1. Cor. 12. v. 8. 2. Distinguendum esse inter perturbationes vitiosas, cuiusmodi sunt invidia, malevolentia, & ἔπιχρηστικότητα, im-misericordia, indignatio; & appetitum naturalem, cuius generis sunt edere, bibere, ambulare, dormire &c.

Hæc præmissis ad everrendas Romanensium appludas & quisquilias nunc accedimus, quas hæc removemus scopis. Ac ordine quidem ad primum obiectum respondemus, 1. Nihil inde probari aliud, quam homini facultatem viresq; à Deo datam esse superandi perturbationes vitiosas, minime verò affectum naturalem, naturalia enim semper eodem se modo habent, difficulterq; mutari possunt. 2. Affectus non semper audiunt dictamen rectæ rationis; sed sæpius ab eis ita transversa abripitur, ut verum sit illud:

Fertur equis auriga: nec audit
currus habenas.

Arist. 1. Nicom. c. 13. & 5. Nicom. c. 11. 3. Et ratio ipsa quandoq; dormitat, nec sui istis partibus plene desungitur. Ad secundum respondemus. 1. Si DEVS uestioni remedium opposuisset impetrationem doni continentie, tunc atque procederet argumentum: Sed quia DEVS vitanda fornicationis aliud remedium opposuit, legitimum nimirum coniugium, quod multis constat sacrarum literarum testimonijs, proinde nihil ex eo argumento sequitur. 2. Quod omnia quidem petentibus daturum se sæcile receperit Deus: sed tamen ea cum conditione, si secundum ipsius voluntatem petierimus, ut dicitur, Ioh. 5. v. 14. Iam verò donum continentie à Deo secundum ipsius verbum
suo

seu voluntatem peti nequit, cum nullibi sit mandatum, immò donum extraordinarium. Ad tertium respondeo nugas in re seria nugarì Pontificios, dum dicunt alia remedia incontinentiæ, quàm solùm coniugium, dari; expressa enim sunt verba Apostoli Pauli 1. Cor. 7. 9. Si se non continent, contrahant matrimonium. & 1. Tim. 5. v. 14. Volo ergo iuniores nubere, liberos gignere, matres familias esse. Sed hæc satù sunt manifesta. Hunnius in cap. 19. Matth. p. 634. 641. Matth. Flac. Illyricus in Glossa Compend. in Nov. Test. in 1. Epist. ad Cor. c. 7. p. 775. Petrus Martyr. Classe 3. Loc. Com. c. 7. p. 592. Matthæus Sutlivius de Monachorum institutis & moribus contra Bellarm. c. 23. p. 641. Proinde Romanenses nò velint quæ sunt veritati consentaneæ.

Centum errent cæci cæcis in fluctibus annos.

At

Nobis parta quies, omnisque in limine portus.
Virg. 7. Æn.

FINIS.




Fc 1249.
gn



Bitte noch kein
Sammelbd. verwenden
nach Ausleihe
an Retro-Ecke
OK
Zurück!

VD 17







TATIO XIV.
 ONVM ETHICARVM
De
 ET IMPERFECTIONE
utrum, id est,
De
E HEROICA

nec non
De
A & TOLERANTIA,
icomachiorum maximam partem
leprompta,
Quam

ET AVSPICE CHRISTO
ademia VVitebergensi
RÆSIDE

ELSTENIO PHILOSO-
fessore Publico defenden-
am suscipiet
GMAN HILDESIA-SAXO.

horis locoq, consuetis.
. de Nat. Deorum.
e afflatu divino unquam existit.
ia virtutis fundamentum est.

TEBERGÆ,
erianis Anno 1607.

